


V. 16 (W)





DE V A R I A ~~Pa. 16.~~ 16.

ARISTOTELIS

F O R T U N A

IN ACADEMIA PARISIENSI,

Extraneis hinc inde adornata Præfidiis

L I B E R. ~~Monmori~~

an 1696 4


Ad Virum Clarissimum HENRICUM LUDOVICUM

HABERTUM MONMORIUM, Libellorum supplicum
Magistrum Integerrimum.

A U C T O R E

JOANNE DE LAUNOY, Constantiensi,
Theologo Parisiensi.

Editio Secunda auctior & correctior.



HAGÆ-COMITUM

APUD ADRIANUM VLACQ.

M. DC. LVI.

16. 15. 1860

LISTO
FOR TUNA

Patentis hinc inde adomata Præsidis

~~1860~~
1860

Magistram
HABITUM MONTIUM
Magistram

ACTOR

CONFIDENTIAL
Theologo Præsidis

Actio hinc inde adomata



HABITUM MONTIUM
ACTIO

Faint, illegible text at the top of the page.

Faint, illegible text in the upper middle section.

Faint, illegible text in the middle section.

Faint, illegible text in the lower middle section.

Faint, illegible text in the lower middle section.

Faint, illegible text in the lower middle section.

Faint, illegible text in the lower middle section.

Faint, illegible text in the lower middle section.

Faint, illegible text in the lower middle section.

Faint, illegible text in the lower middle section.

Faint, illegible text in the lower middle section.

Faint, illegible text in the lower middle section.

Tertullianus lib. contra Valentinianos C. III.

Nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi.

Sanctus Augustinus libro de unico baptismo contra Petilianum Cap. I.

Prima illic (*in quodam Donatistarum opere*) invidia est, quòd ventilatur in publico res secreta: Taceant ergo, qui hoc fieri debere non putant.

Plinius libro V. epistola VIII.

Orationi & Carmini est parva gratia, nisi eloquentia sit summa; Historia quoquo modo scripta delectat.



INDEX CAPITUM.

PRÆFATIO ad virum clarissimum Henric.
Lud. Habertum Monmorium Libellorum sup-
plicium Magistrum integerrimum. p. 1.

CAP. I. Prima Aristotelis fortuna recensetur, &
explicatur; In qua illius præcipui comburuntur
libri, eorumque lectio interdicitur. 4

CAP. II. Primam Aristotelis fortunam antiqui Pa-
tres Ecclesiæ præjudicarunt. 5

CAP. III. Nonnihil adhuc expressius, & magis ad
rem subnotatur. Beatus Bernardus, & Otto
Frisingensis Dialectam Aristotelis in Petro A-
baelardo culpant. Galterus Prior Victorinus
contra Abaelardum, Lombardum, Pictavinum
& Porretanum, tanquam homines Aristotelico
spiritu afflatos, scribit. His accedunt Robertus
Corceon & Sigebertus. 28

CAP. IV. Secunda Aristotelis fortuna recensetur
& explicatur. In qua persistit vetita combusto-
rum operum lectio, sed Dialectica in publicas
scholas admittitur. 31

C A P. V. In hac fortuna ab antiquorum Ecclesiæ Patrum præjudiciis, & Senonensis Concilii decreto non nihil receditur. Non Aristotelis, sed Beati Augustini Dialectica legebatur antea in scholis Lutetiæ.

32

C A P. VI. Tertia Aristotelis fortuna recensetur & explicatur. In qua combustorum operum lectio prohibetur, donec ab eis error omnis dispunctus fuerit.

33

C A P. VII. Ad hanc fortunam observantur magni ponderis tria.

34

Secunda fortuna componitur cum tertia.

ibid.

Simon Tornacensis propter nimium Aristotelis usum hæreseos accusatus, & alii aliter reprehensi.

35

Albertus & Thomas in vetitos Aristotelis libros scribunt commentaria. Cur id ita factum?

36

C A P. VIII. Secunda Aristotelis fortuna repetitur, & decreto Gregorii Papæ IX. aliqua ex parte derogatur.

37

C A P. IX. Quarta Aristotelis fortuna recensetur & explicatur. In qua nominatim exprimuntur plures Aristotelis libri, qui legantur præter Physicam.

39

C A P. X. Quæ in hujus fortunæ decursu contigerunt, eoque pertinent, enarrantur.

40

B. Thomas à Facultate Theologiæ notatus, quòd Aristotelis verba paullò frequentius usurparit.

41

Clemens Avenionensis Papa quorundam ætatis suæ Theologorum flagitia confixit.

ibid.

Pari-

- Parisiensis Cancellarius in eisdem Theologos invehitur. 42
 Parisiensis Cancellarii viam insistit auditor Clamengius. 43
 Nicolaus V. à majorum statutis in Aristotele tacitus derogavit. 44
 Gravis de Platone & Aristotele contentio inter Card. Bessarionem, & Marcum Ephesinum. 45

C A P. XI. Quinta Aristotelis fortuna recensetur atque explicatur. In qua Cardinalis Totavillæus memoratis in superiori fortuna libris moralem Philosophiam adjecit, sed commentarios de Physico auditu prætermisit. 47

C A P. XII. Nonnulla in hanc quintam Aristotelis fortunam animadvertuntur. 48

Totavillæus à Gregorii IX. decreto non recedit, sed à Provinciali Concilio non nihil videtur recedere. ibid.

Totavillæus ex omnibus Academiæ instauratoribus primus est, qui ut Aristotelis Ethica legerentur, constituit. Publica unius Ethicorum Lectoris professio suppressa. 49

De Aristotele Theologicis nimium immixto gravium & eruditorum Scholasticorum Hangesti, Majoris, Almaini, Clichovei, Pighii, Cani, Maldonati, Trithemii, Francisci Rothomagensis Episcopi, & Facultatis Artium Parisiensis Academiæ querela. 50

C A P. XIII. Sexta Aristotelis fortuna recensetur & explicatur. In qua Ramus & Aristoteles in arenam descendunt: hic cum laude vincit, ille sine difficultate vincitur: dimicantibus cum Aristotele Francisco I. & nonnullis Professoribus. 58

C A P. XIV. Res quinque ad superiorem fortunam animadvertuntur. 62

Non immeritò Gallica Latinis admiscuntur.	62
Neque de causa Rami, neque de facto Francisci R. quicquam pronuntiandum.	63
Franciscus Rex in facto suo dedit exemplum, non accepit.	<i>ibid.</i>
Audomarus Talæus Rami controversiam illustrat.	<i>ibid.</i>
P. Gassendus causam Rami non admodum injustam fuisse re ipsa ostendit.	69
CAP. XV. Septima Aristotelis fortuna recensetur & explicatur. In qua legendus Aristoteles præscribitur.	71
CAP. XVI. Octava Aristotelis fortuna recensetur & explicatur, In qua Philosophus quanto quondã in dedecore, tanto in honore habetur, adversarios persequentibus Academia & Senatu Parisiensi.	72
In Aristotelis oppugnatores Parisiensium Theologorum censura.	73
Parisiensis Senatus decretum.	78
CAP. XVII. Nonnulla in hanc ultimam Aristot. fortunam adnotantur.	79
Prima fortuna comparatur cum ultima.	<i>ibid.</i>
Quantum sit ultimæ Aristotelis fortunæ præsidium.	80
Canis de retinenda Aristotelis Philosophia iudicium.	82
Quædam in hoc iudicium animadversio.	84
Ad Canum accedit Bernardus Casertanus Episcopus.	85
Conclusio operis ad eundem Henr. Lud. Habertum Monmouthium.	93


DE



DE VARIA
ARISTOTELIS
IN ACADEMIA PARISIENSI
FORTUNA,

Extraneis hinc inde adornata præsidiis,
LIBER.

Ad virum clarissimum Henricum Ludovicum Mon-
morium Libellorum supplicum Magistrum integerrimum.



UAM varia fuerit Aristotelis in Acade-
mia Parisiensi fortuna, Vir clarissimè, de-
scribo. Est notabilis prorsus res, atque
ut admiratione, sic & curiositate digna.
Eam ad te potissimum defero, qui non so-
les ex hominibus philosophiam; sed ex
philosophia homines æstimare: nec im-
meritò. Id enim appositè quadrat in
prudentissimum virum, qui philosophos
omnes habet pro sapientiæ institoribus.

Eos aspernatur, qui fucosas exponunt merces, amat, qui sinceras. Dum
verò exponuntur sinceræ, continuò licitatur vendibiliiores, & pretio-
siores emit: institor sit sive Plato, sive Epicurus, sive Zeno, sive A-
ristoteles, sive quivis tandem alius: Quorum quisque sibi constituit
sectam, in ludis principatum dedit, regiùmque ita in suos dominatum
occupavit. Unde facta in dominatu servitus, & in servitute domi-

A

natus

natus. Quæ duo cum aliorum, tum Aristotelis schola suppeditat abundè. Sunt enimverò, qui hujus philosophi doctrinâ, tanquam equus capistro, retineantur. Sunt quoque, qui alios aliter sentire non sinant. Sunt denique, qui ad ordinandum Christianæ legis sacrarium, & ad fulcienda illius dogmata introvocare non dubitent. Si quis reclamet, expediunt sese brevi manu: Aristotelem Theologiæ ancillari dicunt, quod antiquiores Ecclesiarum magistri etiam circumspectissimi quique ac sagacissimi non dixerunt. Tum Aristoteles ponè siparium istud subridet & dominatur nonnunquam. Id fit eorum culpa, qui expertes scripturarum & legitimæ traditionis nihil rectum, nisi quod philosophi moribus & documentis consentiat, arbitrantur. Atenim quicquid id est, magnæ ceteroquin & accuratæ considerationis negotium, ab instituto abhorret meo. Aliam suscepi cogitationem, aliud amplector opus, in quo non disputatoris, sed historici tenendæ sunt partes. Exequor fortunæ casus octo, quos Aristoteles ab anno Christi M.CC. tulit Lutetiæ Parisiorum. Primus continet Synodi decretum, quo hujus Philosophi opera comburuntur præcipua, eorumque descriptio & lectio dirarum obnunciatione vetantur. Secundus refert monimenta, quibus incensorum operum sola prohibetur lectio, sed dialecticæ studium adeo non permittitur, ut summa eaque sacra auctoritate decernatur. Tertius Pontificium aliquod exhibet diploma, quo incensorum operum lectio cavetur usque eò, quoad manus erroris emendatrix accesserit, & illius omnis sublata fuerit suspicio. Quartus eam tractat Academiæ Reformationem, ubi propria nomenclatione designantur explicandi in scholis libri fere omnes, præter eos, qui *ἀπὸ τῆς Φυσικῆς ἀναγωγῆς* inscribuntur. Quintus eosdem libros recipit, alios pari modo repudiat, sed Metaphysicis atque Ethicis studium adscribit maximum. Sextus proponit editam à Francisco I. Rege sanctionem, qua sedatur excitata Ramum inter & ceteros Professores controversia, & vindicantur omnes Aristotelis libri, & cum primis Dialectica, in quam Ramus commentariis paullo durioribus animadverterat, ut illi suas institutiones commodius anteferet. Septimus legendus in Academia libros præscribit. Octavus libris omnibus auctoritatem tribuit adhuc majorem, eamque partim censoria Theologorum Parisiensium subscriptione, partim gravissimo Senatus placito confirmat. Singuli casus suam habent
velut

velut appendicem, in qua vel defenduntur uberiùs, vel illustrantur ampliùs, iis ad subsidium extrinsecus acceritis, quæ convenisse unum in locum, atque inter se congruere videntur. Ubi quidam vel utilitatis Aristotelis importarit. Theologiæ, identidem ex bonis autoribus apparet. Primus & ultimus fortunæ casus tam sunt dissimiles, quàm qui maximè. Hic in honore & deliciis putatur: Ille in infamia & tormentis ponitur. Quintus à primo abest eo longiùs, quo magis appropinquat ultimo. Qui supersunt, medium quendam modum servant utcunque tolerabiliorem. Ceterùm à primo ad ultimum semper est mutatum aliquid, in pejuse an in melius, oportet pronunciare alterutrum, sed cùm utrumque suos nanciscatur fautores acerrimos, utrum verius, pronunciatu est, si non difficile, certè minùs tutum. Aliud est censere de rebus proletariorum, quibus nulli sunt nervi, aliud de magnatum, quibus nocendi potestas nusquam deest; Aliud quoque censere de rebus hominum, qui vivere desierunt, aliud de hominibus, quibuscum quietè & tranquillè vivitur. Non omnes enim, quibuscum agitur, veritatem putam amant, aut ferre volunt. Quinetiam eâ manifestam in lucem proditâ expallescent, immurmurant, maledicunt, tumultuantur, suoque exemplo docent, imperitis hominibus nihil esse crudelius, & dum accedit fucata pietas, ne pilus quidem ullus superest ad augendum tantæ iniquitatis fastigium. Sed istic iudicium non interpono meum: interponat suum, qui voluerit. Non consulotamen. Impendet enim ex utraque parte periculum, si sopitus ignis recalesceret. Hinc anathemata, inde exilia, & forsan utraque timeri meritò possent. Quocirca hoc ut injudicatum in medium relinquo, historiam persecutus.

C A P U T P R I M U M.

Prima Aristotelis fortuna recensetur & explicatur, in qua illius præcipui comburuntur libri, eorumque lectio interdicitur.

PRimam igitur Aristotelis fortunam ordior ab Senonensi Concilio, quod Episcopi provinciæ anno M. CC. IX. Lutetiæ Parisiorum celebrarunt. In eo damnati sunt errores Almarici & Aristotelis opera, quæ Parisiensis Academiæ Professores non ita pridem legebant & suis illustrabant commentariis. Id autem testatur Rigordus in vita Philippi Augusti his verbis: *In diebus illis (anno M. CC. IX.) legebantur Parisiis libelli quidam de Aristotele, ut dicebantur, compositi, qui docebant Metaphysicam, delati de novo à Constantinopoli, & à Græco in Latinum translati, qui quoniam non solum hæresi (Almarici) sententiis subtilibus occasionem præbebant, immo & aliis nondum inventis præbere poterant, jussi sunt omnes comburi, & sub pœna excommunicationis cautum est in eodem Concilio, ne quis eos de cætero scribere & legere præsumeret, vel quocunque modo habere.* Hæc auctor æqualis, in quibus causæ sunt duæ, cur quidam Aristotelis libri flammis ultricibus à Synodo Episcoporum addicantur: una, quod Almarico errandi præbuissent occasionem: altera, quod nondum inventis erroribus favere opitulatique potuissent.

Robertus sancti Mariani Autisiodorensis Monachus, seu potius Hugo, qui Chronologiam Roberti ad annum 1223. perduxit, meminit quidem hujus Concilii, sed in rebus Aristotelis quid facti fuerit, non omnino perspectum atque animadversum habuit. Illius verba sunt hæc sub finem anni 1210. *Erant per id tempus quidam scioli literarum in Francia, sed pestilentis doctrina clanculo discurrentes, & vana quedam & impia dogmata, fideique omnino contraria latenter plurimis susurrantes, & nisi prævenisset eos virorum prudentium cauta sagacitas, plures in barathrum perfidiæ demersissent.* Nam de communi Episcoporum consilio missi sunt, qui actus eorum sagaciter explorarent, per quos comperti & detecti, captique & adducti Parisiis custodiae mancipantur. Erant autem numero 14. quorum erant aliqui sacerdotes, curam animarum habentes, quibus fecerat favorem ad populum succata species honestatis, & vitæ gravitas superducta. Congregato igitur Episcoporum Concilio assidentibus Magistris Parisiensibus, propalantur eorum ineptiæ, omniumque judicio reprobantur

probantur, & iudicati heretici exponuntur publicæ potestati, ex quibus aeternum
 duntur incendio, reliqui quatuor murali reclusionem damnantur. Affuit tali specta-
 culo innumerabilis hominum multitudo, nec sine fructu. Hoc actum est, quia inde
 & area Domini mandata est, eventilando zizania, ne fidelium greges corruppe-
 rent, & plerisque timor incussus est, & repressa temeritas, ne novis adinventionibus
 adhererent. Habuit autem initium hac adinventio profana verborum à quodam
 nomine Almarico, quem non longè antè defunctum iudicaverunt anathemate per-
 cellendum, feceruntque corpus ipsius à tumulo erui, & velut hostem fidei extra lo-
 cum fidelium procul poni. Librorum quoque Aristotelis, qui de naturali philoso-
 phia inscripti sunt, & ante paucos annos Parisiis cœperant lectitari, interdicta est
 lectio tribus annis, quia ex ipsis errorum semina viderentur exorta. Non in tres
 tantùm annos, ut hîc scribitur, sed in omne tempus operum Aristote-
 lis lectio prohibita est. Rem meliùs noverat Rigordus, qui sancti
 Dionisii Monachus cum esset, & Regis medicus, Lutetiæque dege-
 ret, quæ vidit ipse, monumentis consignavit suis. Deinde Joannes Vi-
 storinus in memoriali historiarum MS. in Collegio Navarra & Con-
 cilio istius & rerum in eo gestarum mentionem facit, nec omnino si-
 gnicat, ad certum aliquod tempus interdictos fuisse Aristotelis li-
 bros. Hic auctor Lutetiæ floruit Philippo pulchro rege. Tum de-
 mum quæ sumus postea dicturi, hac in parte monachum Autifiodo-
 rensem adhuc errasse confirmabunt.

C A P U T. I I.

*Primam Aristotelis fortunam antiqui Patres Ecclesiæ præjudi-
 carunt.*

QUÆ modò recensita est Aristotelis fortuna, gravissimum ab anti-
 quis Ecclesiæ Patribus præjudicium accepit, sed præcipua illo-
 rum suffragia referre operæpretium esse duco.

Primus mihi occurrit Justinus ex Philosopho Christianus Martyr in
 dialogo cum Tryphone: *Quid autem sit Philosophia, & qua de causa ad ho-
 mines sit demissa, per multos latet. Non enim essent, si scirent neque Theoretici,
 neque Platonici, neque Stoici, neque Peripatetici, neque Pythagorici, cum ea una sit
 scientia. Et post alia de seipso locutus: à Stoico descivi, & ad alium me*

contuli (Peripateticum) vocitatum hominem, ut ipse existimabat, acutum. Hic me primis diebus secum esse passus, postea mercedem à me sibi designari petiit, ne infructuosa mihi cum eo esset consuetudo. Ego verò illum hanc ipsam ob causam reliqui, ne philosophum quidem omnino esse opinatus. Sic Iustinus Aristotelem habet. Deinde idem vel quisquis ille Christianus Doctor librum edidit, cui titulus est: *Quorundam Aristotelicorum dogmatum ever-
sio*. Ubi paullò post initium: *Inter eos verò, qui prophetarum scriptis fi-
dem non habuerunt, ac conjectura propria ducti, quod eis placitum esset de Deo
& creatione definierunt, magnum est & inter ipsos invicem & apud quem-
quam eorum adversus seipsum de rebus, earumque principio juxta substantiam,
& numerum & motum & finem, dissidium. Id quod ex Aristotele (præter-
quam quòd is nihil veri de rebus, quas definiendas sibi commentationibus suis
statui, afferit) declaratur: 1. ex Locis XII. libri I. de naturali auscultatione.
2. ex loco uno libri II. 3. ex locis VI. libri III. 4. ex locis XVI.
libri IV. 5. ex locis II. libri V. ex locis V. libri IX. de eadem natu-
rali auscultatione. 6. ex locis VIII. libri I. de cælo. 7. ex locis XI.
libri II. de cælo. 8. ex locis IV. libri III. de cælo.*

Secundus Clemens Alexandrinus in admonitione ad Gentiles: *Sed
nec molestum fuerit, ut arbitror, cum ad hunc locum pervenerim, meminisse et-
iam Peripateticorum. Cujus quidem sectæ qui est pater, nihil de eo patre, qui
est supremus, intelligens putat esse animam universi, hoc est mundi, animans
Deum esse existimans, ipse à seipso confoditur. Qui enim usque ad Lunam ejus
definit providentiam, deinde mundum Deum esse existimat, avertitur, ut qui
eum, qui est Dei expers, Deum esse arbitretur. Eresus autem ille Theophrastus
familiaris Aristotelis alicubi quidem cælum, alicubi verò spiritum Deum esse
existimat. Deinde libro V. Stromatum: Ita inquit, sed materiam po-
nunt Philosophi & Stoici, & Pythagoras: quin etiam Aristoteles Peripateti-
cus, non autem unum principium.*

Tertius Irenæus Lugdunensis Episcopus libro adversus hæredes II.
cap. XIX. *Quod autem Salvatorem ex omnibus factum esse Æonibus dicant,
omnibus in eum deponentibus velut florem suum, non extra Hesiodi pandoram
novum aliquid afferunt. Quæ enim ille ait de illa, hæc hi de Salvatore insi-
nuant. Pandoron introducetes eum, quasi unusquisque Æonum quod habe-
ret optimum, donaverit ei. Ipsam autem eduliorum & reliquarum operatio-
num indifferentem sententiam, & quod putent à nemine in totum posse coin-
quinari propter generositatem, licet quodque manducent, vel operentur, à Cy-
nicis*

nicis possederunt, cum sint cum eis ejusdem testamenti. & minutiloquium autem & sublimitatem circa questiones, cum sit Aristotelicum, inferre fidei conantur. Quod autem velint in numeros transferre univ ersum hoc, à Pythagora acceperunt, Hic Valentinus & illius sectatores Aristoteli accepta referunt duo, minutiloquium & sublimitatem, vel ut habet vetus codex, multiloquium & subtilitatem, quibus Christianæ fidei simplicitatem & candorem corrumpabant.

Quartus Tertullianus libro de præscriptione hæreticorum cap. VII. Ipsa denique hæreses à Philosophia subornantur. Inde Eones, & forma nescio quæ & Trinitas hominis apud Valentinum: Platonius fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: à Stoicis venerat: & post alia: Unde malum & quare? & unde homo, & quomodo? & quod proximè Valentinus proposuit, unde Deus? scilicet de enthymesi & ectromate, miserum Aristotelem! qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi & destruendi verisipellem in sententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionem, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem ne quid omnino tractaverit. Hinc ille fabulæ & genealogiæ interminabiles & questiones infructuosæ, & sermones serpentes velut cancer, à quibus nos Apostolus refranans nominatim Philosophiam contestatur, caveri oportere, scribens ad Colossenses: Videte, ne quis vos circumveniat per philosophiam & inanem seductionem, secundum traditionem hominum præter providentiam Spiritus sancti. Fuerat Athenis, & istam sapientiam humanam affectatricem & interpolatricem veritatis de congressibus noverat, ipsam quoque in suas hæreses multipartitam varietate sectarum invicem repugnantium. Quid ergo Athenis & Hierosolomis? quid Academia & Ecclesia? quid hæreticis & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat, Dominum in simplicitate cordis esse querendum. Viderint qui Stoicum & Platicum & Dialecticum Christianismum protulerunt. Quàm perniciosæ Christianæ fidei fuerit tunc Aristotelis Dialectica & Philosophia, nemo meliùs Tertulliano noverat, sed nemo quoque accuratiùs exposuit. Huic qui vellet nonnihil adjicere, otio obuteretur & literis.

Idem in libro adversus Hermogenem cap. i. Nec ipse Apostolicus Hermogenes in regula perseveravit. Sed viderit persona, cum doctrina mihi questio est. Christum Dominum non alium videtur aliter cognoscere, alium tamen facit, quem aliter cognoscit. Immo totum quod est Deus aufert, nolens illum ex nihilo universa fecisse, à Christianis enim conversus ad Philosophos, de
Ecclesia

Ecclesia in Academiam & Porticum, Inde sumpsit à Stoicis materiam cum domino ponere, quæ ipsa semper fuerit neque nata, neque facta: nec initium habens omnino, nec finem, ex qua Dominus omnia postea fecerit. Sic in Academicorum & Stoicorum transfertur lapsus Hermogenis. Deinde cap. viij. Solus eam (materiam) Hermogenes cognovit, & hæreticorum Patriarchæ Philosophi. Quod de cæteris quidem, tum præsertim de Aristotele intelligendum est.

Quintus Origenes Clementis Alexandrini discipulus libro 1. contra Celsum: Quis autem, inquit, eorum qui se contulerunt ad Philosophiam, aut fortè fortuna sectæ alicui deditus, aut à magistro inductus, aliter se ad eam applicat, quàm si credat illam præstantiorem cæteris? Non enim expectat, donec auditis omnium Philosophorum opinionibus, earumque varietatibus, tum singulis adstructionibus aut subversionibus, ita demum electionem faciat, Stoicusne malit fieri, an Platonicus, an Peripateticus, Epicureusne, aut cujusvis sectæ Philosophicæ? sed ratione quapiam, aut potius si hoc insipientur, impetuerantur ad exercendam disciplinam, verbi gratia, Stoicam relictis cæteris, contempta Platonica ut humiliore, Peripatetica ut humanis affectibus obnoxia, & plus quàm alia sectæ tribuente bonis, quæ magni sunt apud homines. At Peripateticæ sectæ caput est Aristoteles.

Deinde libro II. contra eundem: Quoniam autem pro Philosopho vult haberi Celsus, interrogemus eum, num Platonis erat crimen, quod vigesimo anno postquam eum audire cœperat Aristoteles, à præceptore desciscens, accusavit ejus doctrinam de immortalitate animæ, & ideas Platonis argutationes nominavit. Possemus & amplius argutando quærere: Ergo Plato nihil amplius valebat in dialectica, nec idoneus erat tradendis suis cogitationibus, ex quo desertus est ab Aristotele, & proinde falsa sunt Platonis dogmata? an fortè possibile est, quod facile Platonici concesserint, Aristotelem erga magistrum suum fuisse ingratum & improbum?

Huc spectare potest Helladius Besantinus in libris Chrestomathiæ, dum apud Photium in Myriobiblo Cod. CCLXXIX. de Aristotele sic loquitur: Aristoteles Peripateticæ princeps scholæ à Platone pullus nominatus est, quod præceptori contradiceret. Equo enim volupe est etiam mordere. Quamobrem non facile admittentur, quæ in Excerptis è vita Pythagoræ hoc modò traduntur apud eundem Photium Cod. CCLIX. Plato & Aristoteles uno sensu immortalem dicunt animum, quamvis alii altam mentem Aristotelis non intelligentes, mortalem esse animam, eum dicere existiment.

Neque

Neque verò credendum est, vel secum vel cum magistro, quem apud Hieronimum imitatur, pugnasse Origenem, quando id fecit, quod eum fecisse idem Hieronymus ad Magnum scribit his verbis: *Hunc (Clementem Alexandrinum) imitatus Origines decem scripsit Stromateas, Christianorum & Philosophorum inter se sententias comparans, & omnia nostræ religionis dogmata de Platone & Aristotele, Numenio Cornutoque confirmans.* Scilicet vanitatem numinum & vitiorum, quæ Philosophi admittebant, destruens, atque inde Christianæ legis dogmata confirmans. Nam ut mendacium adstrui, nisi destructa veritate, non potest, quemadmodum ait Phœbadius Aginensis Episcopus, sic & Origines iis in libris putaverat destruendum sibi esse mendacium, ut veritas adstrueretur. Uno verbo comparisonem illam tanta solertia & cautione instituit, ut omnia nostræ religionis dogmata Christianorum sententiis defenderentur, & Philosophorum nentiquam oppugnarentur. Quò spectat illud homiliæ XI. in cap. I. Geneseos: *Sanè præter hoc quod ex lege Dei edocemur, si etiam ex his eruditionibus, quæ extrinsecus videntur esse in seculo, aliquas contingimus, verbi causa, ut est eruditio literarum, vel artis Grammaticæ, ut est Geometrica doctrina, vel ratio numerorum, vel etiam Dialectica disciplina, & hæc omnia extrinsecus quesita ad nostra instituta perducimus, atque in assertionem nostræ legis adsciscimus, tunc videbimur vel alienigenas in matrimonium sumpsisse, vel etiam concubinas: & si de hujusmodi conjugis disputando, contradicentes redarguendo convertere abiquos poterimus ad fidem, & si suis eos rationibus & artibus superantes ad veram Philosophiam Christi & veram scientiam Christi, pietatem Dei suscipere suaserimus, tunc ex Dialectica & Rhetorica videbimur quasi ex alienigena quadam vel concubina filios genuisse.*

Sextus Lactantius Firmianus lib. I. contra Gentiles cap. VI. *Aristoteles quamvis ipse secum dissideat, ac repugnantia sibi dicat, & sentiat, in summa tamen, unam mentem præesse mundo testatur.* Deinde lib. II. cap. XI. *Et ii maxime fuerunt in ea sententia, qui esse providentiam negant.* Nam Stoici animantium fabricam divinæ solertiæ tribuunt. Aristoteles autem labore se ac molestia liberavit dicens semper mundum fuisse. Itaque & humanum genus, & cætera, quæ in eo sunt, initium non habere, sed fuisse semper ac semper fore.

Septimus Eusebius Cæsariensis Episcopus libro XV. de Præparatione Evangelica cap. I. *Atque ut ab Aristotele ordiar. Fuere quidem non-*

nulli, nec obscuro alioque Philosopho, à quibus ipsa quoque hominis vita calumniis proscissa est. At ego ne auditione quidem suorum in eum maledicta sustinere possim. Quamobrem editas ab Aristotele Peripatetica defensionis ejus rationes exponam. Idem cap. III.

Moses, Hebraïque Propheta beatè vivendi finem in præpotentis Dei cognitione & amicitia, quam religio perficiat, constituunt. Veram porro religionem illam esse, docentque, quomodo Deo virtutum omnium complexione placeamus. Hanc enim bonorum causam esse, cum & in unius Dei potestate versentur omnia, & à Deo suis amatoribus omnia suppeditentur. His gemina Plato statuens beatitudinis finem in virtute ponit. At Aristoteles aliam insistit viam, nec aliter beatum quemcumque futurum esse defendit, quomodo si & bona corporis utetur valetudine & externis opibus abundavit, quibus ipsa si virtus careat, timetur nihil. Eum verò quàm acriter petant, quemadmodum hanc ejus opinionem falsi coarguant Platonis discipuli, ex sequentibus intelliges. Idem cap. IV.

Attici Platonici disputatio adversus Aristotelem à Mose & Platone in constituenda finis ratione dissidentem. Idem cap. V.

Moses præterea Hebraïque Propheta, quibus etiam Plato suffragatur, providentiam universa complecti, distinctè clarèque posuerunt. Aristoteles in lunari orbe metam Numini, terminumque constituens, partes mundi reliquas ejus cura gubernationique subduxit, quam ob causam his ab eodem Attico verbis reprehenditur, Idem cap. VI.

Mundum insuper Moses cum aliquo generatim ortu posuit, tum parentem ejus molitorémque Deum huic rerum universitati præfecit. Quo in genere Mose quoque affinia Plato philosophatur. Contrariam utrique Aristoteles hac in questione viam insistens ab eodem Attico sic ad verbum scribente revincitur. Idem cap. VII.

Ejusdem (Attici) adversus eundem (Aristotelem) quintam corporum essentiam inducentem, quam neque Moses, neque Plato novit. Idem cap. IX.

Ejusdem (Attici) adversus eundem (Aristotelem) cum Platone simul, Hebræorumque doctrina in questione de animorum immortalitate pugnantem.

Sic Eusebius cum ex Mose, tum ex Attico & Platone refellit Aristotelem, ut qui certè præ cæteris Philosophis minùs consentiat Christianæ religioni, ejusque dogmatibus. Quicquid id est, persuasum habet vir prudentissimus, faciliores ad fidem nostram patefieri non posse

posse aditus, quàm si Gentilium & cum primis Aristotelis Philosophia tolleretur.

Idem Eusebius lib. V. hist. Ecclesiasticæ cap. XXVII. de Artemonis hæresi, quam Paulus Samosatensis instauravit: *Sacras audacter depravarunt scripturas, veteris fidei canonem abrogarunt, Christum ignorarunt. Neque quid sacra & divina litera de illo dicunt, inquisiverunt. Sed quanam syllogismi figura ad suam impietatem confirmandam reperiretur, studiosè indagarunt. Quod si quisquam fortè illis aliquod divini eloquii testimonium proferat, querunt, utrum conjunctam an disjunctam syllogismi figuram possit efficere? Relictis verò & depositis sacrarum literarum studiis omni cura & cogitatione in Geometriam incumbunt, & tanquam ex terra editi de terra loquuntur, & Christum, qui sit de cælo venturus, penitus ignorant: Euclides enim apud quosdam eorum propter Geometriæ artem enixè recolitur. Aristoteles & Theophrastus in summa habentur veneratione. Galenum etiam fortasse nonnulli summè venerantur. Hi ergo tum infidelium artibus ad erroris sui sententiam roborandam abutuntur, tum sollerti impiorum astutia & subtilitate simplicem ac sinceram divinæ scripturarum fidem adulterant. Si quando igitur hæretici Scripturarum sensum corrumpunt, id præsertim Aristotelis opera moliuntur.*

Idem libro VII. cap. XXVI. scribit Anatolium, qui Laodicensis fuit Episcopus, Alexandria Philosophiam Aristotelis tradidisse, hoc ei laudi non ducit: Verba sunt: *Anatolius genere etiam Alexandrinus post illum (Eusebium) creatur Episcopus Loadicæ) bonus ut aiunt boni viri successor. Qui cum ob eloquentiam, tum ob doctrinam humaniorem, & cognitionem Philosophiæ inter homines nostri temporis, qui erant spectatissimi, facile principem locum obtinuit. Quippe in Arithmetica, Geometria, Astronomia, & disserendi facultate, in contemplatione & perspicientia nature, in oratorum quoque disciplinis venerat ad summum. quarum rerum gratia, fama est, cives Alexandriae eum & ludo, in quo Aristotelis doctrina dicebatur, magistrum præfecisse. Hæc de Anatolio, quem aliis de capitibus plurimum laudat. Utrum autem Alexandriae cives, qui Aristotelis scholæ præfecerant Anatolium, fuerint omnes Christiani, necne, Eusebus disertè non exprimit. Sed non omnes fuisse Christianos, cum ex eodem cap. facile colligitur, tum ex ratione temporis, quo docuit. nam docuit multò ante annum Christi CCLXXII. quo creatus est Laodicensis antistes. Tunc Alexandriae & aliis in locis Christiana vexabatur religio, &*

plures ab ea suscipienda suppliciorum atrocitate deterrebantur.

Octavus Hermias Philosophus Christianus in libello, qui Gentilium Philosophorum Irrisio inscribitur: *Sed huic, inquit, (Archæ-lao) magniloquus Plato non assentitur, qui rerum exordia, Deum & materiem & exemplar esse dixit. Iam verò persuasum mihi est? Quidni verò? Cùm Philosopho, qui Iovis currum etiam fecerit, crediturus sim? A tergo autem stat ejus discipulis Aristoteles, qui magistrum ob currus fabricationem illam æmulatur: Ille alia principia describit, facere nimirum & pati. ac id quidem quod faciat, nulla re affici, videlicet ætherem: Id verò, quod patiat, quatuor habere qualitates, ariditatem, humiditatem, caliditatem, frigiditatem? horum autem mutua inter se mutatione omnia & oriri & interire. Defatigatus jam sum, sursum ac deorsum opinionibus jactatus. Verum Aristotelis sententia stabo. neque ulla amplius sententia tumultum mihi concitabit. Sed quid agam? Nam senes his vetustiores animi mei nervos incidunt, &c.* Hoc loco Hermiam in omnem eventum posui. quo enim tempore floruerit, hæcenus non potui certò scire.

Nonus Basilus Cappodocum Episcopus libro I. contra Eunomium: *Num Aristotelis aut Chrysippi syllogismis opus est, ut eum perdiscamus, qui ingenitus est, neque à seipso, neque ab alio genitum, nec priorem esse nec posteriorem seipso? Quorsum igitur hæc tendunt ab ipso comparata? Primum mihi videtur honori sibi apud auditores futurum putasse, quasi solido ac sollerti sit ingenio præditus, & acutus in prospiciendis incongruis, & acutior in dissolvendo, quod deprehenderit, & harum rerum gratia volubili orationis cursu gloriatur, & demonstrationem subtiliter deducam, quod nec à seipso, nec ab alio ingenitus est, sit genitus. Sic Eunomius Aristotelis & Chrysippi syllogismos adhibet, quibus sua dogmata stabiliat: Basilus verò procul abjicit, iisque Christianam fidem facile carere docet.*

Hic locus in causa mihi est, cur ad Aristotelē minùs, quàm ad reliquos Philosophos transferam, quæ de Basilio Gregorius Nyssenus scribit in vita Moïsi, huic Scripturæ versiculum: *Profunda tu ne scrutaris interpretatus: Convenientior est sublimior sensus eo, qui ad literam exponenti occurrit, quasi nimirum scriptura jubeat, ut ij, qui honestè ac liberaliter ex virtute vitam instituunt, eruditionis Gentilium civitas sibi comparent, quibus alieni à fide homines exornantur, moralem naturalemque Philosophiam, Astronomiam, Geometriam, Musicam, Dialecticam, ceterasque scientias, quibus alieni ab Ecclesia florent, accipere ab illis, & illos abutentes*
privare.

privare si possibile est, & in meliores usus transferre jubemur. Ut quæ nobis usui futurae sint, cum opus fuerit, divini mysterii templum his spiritualibus opibus exornare. Qui enim tales opes sibi collegerunt, Moysi circa tabernaculum testimonii laboranti de rebus suis ad sanctorum constructionem conferunt, quod etiamnum fieri videmus. Multi Gentilium eruditionem, tanquam donum quoddam Ecclesiae offerunt, cujusmodi magnus ille fuit Basilus, qui cum Aegyptiorum opes in juvenili aetate sibi egregie comparasset, Deoque consecrasset, verum Ecclesiae tabernaculum exornavit.

Decimus Gregorius Nazianzenus oratione XXVI. Aliàs contrà exiguo ingenio est & lingua pauper, nec verborum flexus & captiones novit, nec sapientium dicta & aenigmata, nec Pyrrhonis instantias aut assensus, retentiones, aut oppositiones, nec syllogismorum Chrysippi solutiones, aut pravum artium Aristotelicarum artificium, aut Platonica eloquentiae praestigias, quæ velut Aegyptiacæ quaedam plagæ in Ecclesiam nostram irrepserunt. Eleganti cum primis & apposita similitudine significat, magnum esse detrimentum, quod artes Aristotelis & Platonis eloquentia importarunt Ecclesiae.

Idem oratione XXXIII. Sunt enim quidam, quibus non aures duntaxat, sed etiam lingua, atque adeo manus ipsæ, ut video, ad sermones nostros pruriunt, quique profanis vocum novitatibus, & contentionibus falso nominatae scientiæ, atque disputationum pugnis, quæ nullam utilitatem afferunt, oblectantur. Nam his nominibus, quicquid in verbis, v. l. supervacaneum vel curiosum est, vocat Paulus ille breviati verbi præco & assertor, ille piscatorum discipulus & præceptor. Hi vero, de quibus orationem habemus, utinam quemadmodum linguam volubilem habent, atque in nobilioribus & probatioribus verbis insectandis acrem & vehementem, sic etiam in agendo nonnihil saltem, aut etiam aequè operam collocarent. Id quod si facerent, minus utique cavillatores essent, nec tam absurde, atque insolenter in verbis perinde, atque in aleæ ludo versarentur. Liceat enim mihi ridiculè de re ridicula loqui. Quoniam autem omni pietatis viâ sublatâ & deletâ, hoc unum sibi proponunt, ut quæstiones vel stringant vel solvant (quemadmodum qui in theatris certamina pervulgant, & quidem hujusmodi certaminum genera, quæ non juxta palestræ leges victoriam comparant, sed imperitorum duntaxat oculos perstringunt, ac laudem à spectatoribus captant) & res huc redit, ut horum disputationibus & forum omne circumstrepit, & convivium omnia hujusmodi nugarum tadio obtundantur, atque & festum omne infestivum sit, mœstitiaque plenum, ut luctus omnis majori calamitate, hoc est, quæstionum argutiis mitigetur, ac denique gynæcea omnia simplicitatis alumna turbeniur, & pudoris flos præcipiti hac conten-

dendi libidine compiletur, quoniam, inquam, hæc ita se habent, adeoque intoleranda est vis hujus mali, ut periculum sit, ne magnum fidei nostræ mysterium exigua quadam articula esse videatur. Et post alia. Cur accusatores ipsos Iudices constituimus? cur hostibus in perniciem nostram gladios porrigemus? quo pacto, quo ve modo eos hujusmodi sermonem accepturos censes, qui adulteria & puerorum stupra laudibus efferunt, qui vitia adorant, nec quicquam supra stupra corpus cogitare possunt, qui heri & nudius tertius Deos sibi condiderunt, eosque turpissimis facinoribus claros & nobiles? an non crasse, non fœdè? non ineptè? denique non suo more? nonne deorum suorum ac vitiorum patrocinium à theologia sua haurient? nonne cum ipsi his vocibus calumniam struamus, quo tandem animo illos adducere queamus, ut philosophiam nostram amplectantur? & post alia. Quid ergo vir optime, relictis aliis omnibus itineribus perinde ac doctrinam nostram paupertatis damnantes ad unum hoc iter ferimini omnes, quod per disputationes ac speculationes, ut ipsi putatis, ut autem ego, nugas & præstigias teritur? Objurget vos Paulus post gratiarum enumerationem acriter his verbis invehens: non omnes Apostoli? non omnes Prophetæ? & quæ sequuntur: esto autem: sit ipse altus & sublimis, & sublimioribus sublimior, atque ipsis etiam nubibus, si ita lubet, altior, rerum quæ oculorum aspectum superent, spectator, & arcanorum verborum auditor, post Heliam in sublime raptus, post Moysen Dei conspectione donatus, post Paulum in cælum evehctus, quid tandem est, quod alios quoque unius diei momento sanctos fingis, & Theologos creas, eruditionemque ipsis velut inspiras, & multa imperitè doctorum conciliabula facis? cur areanearum telis infirmiores illaqueas? ex eo quo tibi scitum aliquid ac præclarum facere videris? cur adversus fidem crabrones excitas? cur Dialecticorum agmen nobis ex tempore producis? non aliter & fabula olim gygantes? cur levissimos quoque viros & virorum nomine indignos velut colluviem quendam in unam voraginem cogens, ac verborum illecebris magis ac magis effœminans, novam ex ipsis impietatis officinam condidisti, astute interim earum amentia ad utilitatem tuam abutens, ex eaque messem faciens? Quod si quoque oblectaris, nec alia vitæ studia & instituta ullius apud te momenti sunt, linguamque omnino imperitare ac dominari necesse est, nec parturientem sermonem vi reprimere potes, multa quoque alia honorifica argumenta tibi suppetunt: adeo morbum istum non sine opera pretio converte. Pythagoræ silentium, & fabas illas Orphicas insectare, recentemque horum verborum arrogantiam, ipse dixit, Platonis ideas impete, animorumque nostrorum in alia atque alia corpora migrationes, & circuitiones & reminiscencias, ac denique non pulchros amores per pulchra corpora in animum subeuntes

euntes, Epicuri impium numinis contemptum, & atomos & alienam philosophorum voluptatem exagita. Aristotelis preparcam & augustis finibus circumscriptam providentiam & artificium, ac mortales de anima sermones, atque humana dogmata confuta. Stoicorum supercilium incesse: Cynicorum ingluviem, & circumforanorum levitatem.

Vndecimus Epiphanius Constantiæ Cypri Episcopus libro II. hæresi LXIX.. Huic argumento non dissimile est aliud ab novis illis Aristotelicis inventum. Nam hujus Philosophi virus omne in seipsis expresserunt, & innocentem Spiritus sancti simplicitatem, benignitatemque reliquerunt: De quibus ita Dominus loquitur: Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. At illi mansuetudine relicta caliditatem potius amplexi sunt, seque ad Aristotelem & cæteros hujus mundi dialecticos accommodare maluerunt, quorum fructus ita consecantur, nullam ut justitiæ frugem proferant, nec ullum Spiritus sancti beneficium, utpote contentionis plus æquo cupidi impetrare meruerint.

Idem indiculo libri III. de Aëtianis. Anomœi sive Aëtiani Christum & Spiritum sanctum à Deo funditus alienum esse prædicant, quos creatos esse, neque quicquam habere similitudinis asserunt. Quippe syllogismis quibusdam Aristotelicis, ac Geometricis Dei naturam explicare student, idemque probant Christum à Deo oriri non posse.

Idem eodem libro III. hæresi LXXVI. Aëtius cum Alexandria Aristotelico cuidam Philosopho ad Sophistæ novasset operam, ab eoque Dialecticam didicisset, totus in illud incubuit, ut divinarum rerum rationem quibusdam futuris explicaret, id quod summo in otio à prima luce in vesperam usque, sed eas pertinaci opera contendebat, nimirum ut Geometricas figuras divinas ad res tractandas, definiendas, docendâsque transferret. & post alia: Fieri non potest, ut ingenita increatâque natura creata sit aliquando, ab eâque creata rei conditione velut pœnitendo ad priorem illum ingeniti statum postliminio revertatur, quantumvis Aristotelicis tuis isque infinitis questionibus implicare nos studeas, cœlesti ac simplici, castâque Spiritus sancti doctrina derelicta. & post alia: Desine igitur Aëti Aristotelicas illas tuas voces & inanes obtrudere. Nobis enim citra ullum erroris periculum certissima Christi doctrina sufficit, cum ita loquitur, Ego exivi à patre, & vado. & post alia: Neque id hortatione ulla perficere potes, ut Aristotelis præceptoris tui discipuli esse velimus, aut piscatorum, qui Dei Spiritu collustrati sunt, doctrinam relinquere, illiteratorum quidem & rudium, sed veritatis nihilominus præconum, quo
munere

munere Dei virtute ac beneficio perfuncti sunt. Non enim in syllogismis argumentisque regnum cœleste positum est, neque in arroganti inflatōque sermone, sed in virtute ac veritate. Nos autem sat̄ superque hæctenus tuam illam de privatione affectionum ac positionum disputationem audivimus. Sic Anomœi & Aëtiani patronum adhibent Aristotelem, quo suam hæresim confirmant. & quem ideo sanctissimus Pater refellit, & à Christianorum scholis abigendum censet.

Duodecimus Theodorus Presbyter Antiochenus libro de Incarnatione contra hæreses: *Quando autem Severus nudis vocibus acquiescit, utique pietatem supponit consistere in solis verbis ac sonis reclamante Apostolo, qui dicit: Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute & veritate.* è regione is demùm ab ipso Severo præstantissimus agnoscitur Theologus, qui scitè se exercuit in Aristotelicis Categoriis, & reliquo supellectile externorum à Christo Philosophorum. Ex hoc autem testimonio constat Aristotelem perinde ab Ecclesia, atque hæreticum à Catholico distare.

Decimus-tertius Faustinus Presbiter libro contra Arianos cap. II. *Noli infelix adversus Christum Dominum totius creature Aristotelis artificiosa argumenta colligere, qui te Christianum qualitercumque profiteris.* Quem Philosophum Epiphanius ut Anomœorum & Aëtianorum patronum, hunc Faustinus ut Arianorum hyperaspistem execratur. Sed postea subjicit: *Inspice potiùs divinos libros, & de divina fide divinis utere sermonibus.*

Decimus-quartus Gregorius Beticus Eliberitanus Episcopus libro de fide contra Arianos eandem omnino orationem usurpat. Quo fit, ut repetenda esse minimè videatur.

Decimus-quintus Ambrosius Mediolanensis Episcopus libro I. Officiorum cap. XIII. Et primò eorum asserionem, qui Deum putant curam mundi nequaquam habere, sicut Aristoteles asserit usque ad Lunam ejus descendere providentiam. & post alia: *Nam de Aristotelis opinione quid loquar, qui putat Deum suis contentum esse finibus, & præscripto regni modo degere, ut poëtarum loquuntur fabule, qui mundum in tres ferunt esse divisum, ut alij cœlum, alij mare, alij inferna coërcenda imperii sorte obvenerint, eosque cavere, ne usurpata alienarum partium sollicitudine inter se bellum excitent. similiter ergo asserit, quòd terrarum curam non habeat, sicut maris vel inferni non habet.*

Decimus sextus Joannes Chrysostronus homilia III. in cap. I. epist.

epist. ad Rom. Voluerunt enim amplius quiddam invenire, finibus sibi datis non contenti: quapropter & ab iis exciderunt, ut qui novitatem appetiverint. Etenim hujusmodi omnia Græcorum fuere. ob quod adversum semet ipsi mutuo steterunt. & Aristoteles quidem adversus Platonem insurrexit. Stoici autem in hunc infremuerunt, & alius aliis hostis extitit, ut non tam illos conveniat ob sapientiam admirari, quàm aversari & odisse, quoniam quidem ob hoc ipsum & stulti fuere. Nisi enim seipsi cogitationibus, syllogismis ac sophismatis commisissent, illis non accidisset, quod accidit. Deinde accusationem in illos intendens, taxat omnem illorum idololatriam.

Hunc scopum rursus ferit idem auctor in Psal. CXV. Vide quantum sit periculum res fidei permittere humanis rationibus, & non fidei. Iterum homil. XXIV. in Joannem: Nihil pejus est, quàm humanis rationibus spiritualia subicere. Hoc illum (Nicodemum) impedit, nequid magnum, nequid profundum contempleretur. Ideo nos fideles appellamur, ut humanarum cogitationum veritate contempta ad fidei altitudinem evadamus.

Decimus-septimus Hieronymus Presbyter Doctor Ecclesiæ in dialogo contra Luciferianos: *Revera de Platonis & Aristotelis sinu in Episcopatum alleguntur. quotus enim quisque est, qui non apprimè in his eruditus sit? Denique ex literatis quicumque hodiè ordinantur, id habent curæ, non quomodo scripturarum medullas ebibant, sed quomodo aures populi declamationum flosculis mulceant. Accedit ad hoc, quod Ariana heresis magis cum sapientia sæculi facit, & argumentationum rivus de fontibus Aristotelis mutuatur. Profectò cœnosos admodum esse oportet fontes, è quibus Ariani suas rationes depromunt.*

Idem Hieronymus libro I. contra Pelagianos: *Hæc argumentatio tortuosa est, Ecclesiasticam simplicitatem inter Philosophorum spineta concludens. Quid Aristoteli & Paulo? quid Platoni & Petro? Quàm nihil sit commune Ecclesiæ Christianorum & Aristoteli, demonstrari non potuit apertius. Idem libro III. contra eosdem Pelagianos: Disputatio tua non ex fontibus veritatis & Christiana simplicitate, sed ex Philosophorum minutiis & arte descendit.*

Idem Epistola LXII. contra Joannem Hierosolymitanum: *Fides pura & aperta confessio non querit strophas & argumenta verborum, quod simpliciter creditur, simpliciter consistendum est. His autem duobus postremis locis Hieronymus cum aliis, tum Aristotelem maximè perstringit.*

Idem in lib. 10. contra Helvidium: *Non Rhetorici campum desideramus eloquii, non Dial. Eticorum tendiculas, nec Aristotelis Spineta conquirimus, ipsa Scripturarum verba ponenda sunt, &c.*

Decimus-octavus Simplicianus Mediolanensis Episcopus Ambrosii successor apud Augustinum libro VIII. Confess. cap. 11. ubi sic Augustinus ipse loquitur: *Perrexi ergo ad Simplicianum patrem in accipienda gratia tua tunc Episcopi Ambrosii, quem verè ut patrem diligebas. Narravi ei circumitus erroris mei. Vbi autem commemoravi legisse me quosdam libros Platoniorum, quos Victorinus quondam rhetor urbis Romæ, quem defunctum Christianum esse audiveram, in Latinam linguam transtulisset, gratulatus est mihi, quòd non in aliorum Philosophorum scripta incidissem, plena fallaciarum & deceptionum secundum elementa hujus mundi, in istis autem omnibus insinuari Deum & ejus verbum. Hoc autem sermone aliorum Philosophorum scripta plena sunt fallaciarum & deceptionum, secundum elementa hujus mundi, Aristotelem perstringit maximè, & designat ad fugam. Quin autem Augustinus in Simpliciani transferit sententiam, id dubitationem habere nullam videtur. Simplicianus ergo & Augustinus non inutile credunt esse, si Aristoteles de Christianorum scholis manibusque subducatur.*

Decimus-nonus Augustinus ipse quo fuerit in Aristotelem animo, manifestè declarat libro 1. contra Julianum cap. 4. ubi sine ullo discrimine illi exprobrat Philosophi categorias, quibus armatus eductos in aciem à sancto Doctore Patres adoriretur, & legitimas illorum impressiones hæreticum in modum declinabit. Augustini verba sunt: *Rogo, fili Juliane, quid respondebis? Quibus eos oculis intueberis? quæ tibi argumenta succurrent? Quæ Aristotelis Categoriae, quibus ut in nos velut artifex disputator insilias, videri appetis eliminatus? Quæ tuorum argumentorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum conspectu exeri audebunt? Inter usum Categoriarum Aristotelis & abusum non distinguit, nec forsan inter Christianos distinguendi tunc consuetudo fuit, timebant Danaos & dona ferentes.*

Idem lib. II. contra Julianum cap. X. *Sanctos & in sancta Ecclesia illustres Antistites Dei, non Platonice, Aristotelice & Zenonice, aliisque hujuscemodi Græcis vel Latinis, quanquam & istis aliquos eorum, verum omnes sacris literis eruditos, nominatim, sicut oportebat, expressi, & post alia. Quasi tu, qui maximè quereris examen vobis & episcopale iudicium denegari.*

Peripateticorum possis invenire concilium, ubi de subjecto & his, quæ sunt in subjecto contra originale peccatum Dialectica sententia proferatur. Illi Episcopi sunt docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quæ tria bona iudicii tribuisti, non potes invenire quod spernas.

Idem lib. V. contra Julianum cap. XIV. Sed magnum aliquid te Dialectica docuit, rem quæ in subjecto est, sine illa re esse non posse, in qua subjecta est: & ideo putas, malum, quod est in parente, utique in subjecto alij rei, id est, ad quam non pervenit, reatum non posse transmittere Rectè hoc diceres, si malum concupiscentiæ, de parente non perveniret ad prolem. Cùm verò sicut sine illo nemo nascatur, quomodo dicis, eò non pervenire, quò transit? Non enim Aristoteles, cujus Categorias insipienter sapis, sed Apostolus dicit: per unum hominem peccatum intravit in mundum.

Idem lib. VI. c. IX. cont. eundè. Quid autè dicere voluisti, quasi claudens, tu loqueris, Aristotelis palestram, ut inde ad sacras literas revertaris? Deinde cap. XX. Quod autem dixi, qui miratur, quia creatura Dei subditur diabolo, non miretur, subditur enim creatura Dei creaturæ Dei, minor majori: cur ita posuisti, ut sequentia mea verba non adderes, quibus ostendi quemadmodum dixerim, minor majori, humana scilicet Angelicæ, nisi ut minus intelligeretur sensus meus, ut faceres tibi locum, ubi sicut soles de Aristotelicis Categoriis obtendere nebulas imperitis, in quibus latenter putarent te aliquid dicere, quid diceres nescienter. Ad hoc enim redacta est hæresis vestra, ut gemant sectatores vestri non inveniri Dialecticos Iudices in Ecclesia, de Scholis Peripateticorum sive Stoicorum, à quibus possitis absolvi: quo enim pertinet, quid sibi vult, ut quid dictum est, quid dixisti? qui major & minor ad finitam speciem pertinet quantitatis. Sed quantitas, inquit, non solum contrariorum capax non est, quod ei cum qualitate, atque aliis predicamentis, verum etiam nec contrarium habet, quod ei cum substantia est definitione, commune bonum verò, & malum contraria sunt. Hæc profectò nunquam diceres, si lectores vel auditores librorum tuorum putares intellecturos esse quod dicis. Hæc ille, quibus Aristotelicam in Theologicis subtilitatem adversatur.

Idem de Philosophorum libris sic capiendum esse fructum monet lib. II. de doctrina Christiana cap. xxxix. Philosophi autem qui vocantur, si qua forte vera, & fidei nostræ accommoda, dixerunt maxime Platonicæ, non solum formidanda non sunt, sed ab eis tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vendicanda.

Porro quantum in Theologia Philosophicis diffidendum sit rationibus, etiam dum videntur necessariae: ita docet lib. III. de doctrina Christiana cap. XXV II *Ubi talis sensus cruitor, cujus incertum certis Sanctarum Scripturarum testimoniis non possit aperiri, restat, ut ratione reddita manifestus appareat, etiam si ille, cujus verba intelligere quærimus, eum forte non sentit. Sed hæc consuetudo periculosa est. Per Scripturas enim Divinas multo tutius ambulatur: quas verbis translatis opacatas cum scrutari volumus, aut hoc inde exeat, quod non habeat controversiam: aut si habet, ex eadem Scriptura, ubicunque inventis atque adhibitis ejus testibus terminetur. Qui sic loquitur, ne videtur quidem Aristotelis Philosophiam ut Theologiæ servam, quemadmodum ajunt, admittere.*

Ex iis autem omnibus, quæ retulimus, manifestè deprehensum apparet, calumniatorem esse Felicianum illum Arianum, contra quem Augustinus toto uno libro decertavit. Felicianus enim ipse cum Aristotelicis artibus uteretur, iis Augustinum uti subdolè querebatur. Res sic se habet cap. IV. libri quem Augustinus contra Felicianum composuit in forma Dialogi: *Fel. hoc si ita est, duo fateris ingenita, & quomodo altera patris, altera filij putatur esse persona, cum per significationem communis ingeniti utraque videatur esse persona. Aug. In hoc quidem à majoribus vestris non mediocris calumnia sophisma contexitur, tamen per auxilium ipsius Trinitatis Catholica neesse est simplicitate solvatur. En aperta fraus Ariani hominis & sociorum, qui ex Aristotele rationes ad oppugnandam Trinitatem comparare solebant: Deinde soluto argumento, & simulata fraude illa, Felicianus Augustino crimen infert Aristotelicæ subtilitatis: Fel. Quantum ad me attinet, non video quid ista nunc colligas: Nam quamvis Aristotelica mecum subtilitate contendas, fieri tamen non potest, ut eum, qui genitus est ab eo qui genuit, nulla ævi intercedentis antiquitate discernas. Aug &c.*

Vicesimus Cyrillus Alexandrinus Episcopus in Thesauro assertione XI. cont: Eunomium: *Ex Aristotelica disciplina nobis insultantes, & mundanae sapientie fastu turgidi inanes verborum crepitus excitant, parum sibi persuadentes, se Aristotelicæ disciplinæ ignaros ostendi posse. Mirandum enim est, quod cum rationem majoris & minoris excutiant, ad sermonem de simili & dissimili prolabantur, nescientes juxta Aristotelis placita, quo ipsi plurimum sese jactitant, simile & dissimile non in eodè genere collocari, in quo majus & minus.*

Sic

Sic Eunomianos corruit, qui Catholicis Aristotelicam doctrinam opponebant. Nihil olim in hæreticorum ore frequentius, quàm Aristotelis doctrina. Nihil in Catholicorum frequentius, quàm Aristotelicorum dogmatum contemptio.

Vicesimus-primus, Cœtus Episcoporum Ponti in Epistola ad Leonem Thracem Imp. part. III. Calched. Conc. cap. LII. *Hæc breviter piscatorie, & non Aristotelicè suggestimus.* quæ scilicet de antiquorum Conciliorum fide suggererant. Istud loquendi genus acceptum referri potest Hieronymo, qui sic ait adversus Luciferianos: *Oro te ut Philosophorum argumentatione deposita, Christiana mecum simplicitate loquaris, si tamen dialecticos non sequeris, sed piscatores.* Verùm curiosè animadvertenda est Episcoporum antithesis, qua dum Ecclesiæ fidem exponunt, Aristotelem procul amandant.

Vicesimus-secundus Socrates Scholasticus. lib. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XXVIII. *Antiochia, quæ est in Syria, Ætius cognomento Atheus, aliàs hæresis auctor, exoritur.* Iste quamvis cum Ario sentiret, eandemque tueretur opinionem, tamen ab Arianis, quod Arimeni communionem receperant, se segregavit. Et post pauca: *Ob quam causam Ætius se ab Arianis penitus sejunxit? Etiam antè illud tempus Ætius fuerat Hæreticus, & Arii dogmati patrocinari ardenti studio contenderat; nam cum Alexandria aliquantulum profecisset in literis, decessit.* Antiochiam autem Syria profectus (in ea namque civitate natus fuit) à Leontio, qui tum Episcopus erat Antiochia, Diaconus constitutus est. Paulo post eos qui fortè in ejus venere colloquium, suis obstupescit argutiis. Istud autem effecit, fretus elenchis sophisticis Aristotelicis (sic enim liber est ab auctore inscriptus) quarum subsidio cum dissereret, captiosas ra iocinationes, quas ipse non poterat dissolvere, imprudens contexuit. Quippe Aristotelis Institutum à peritis minimè didicerat. Nam Aristoteles propter Sophistas, qui tum Philosophum irrisere; hanc differendi rationem pro adolescentibus conscripsit, & ita Sophisticis & fallacibus quibusdam argutiis restitit. Itaque Academici, qui Platonis & Plotini scripta explanant, ea quæ sunt tam argutè & subtiliter ab Aristotele, disputata admodum reprehendunt. At Ætius utpote Magistrum Academicum minimè consecutus, in captiosis reprehensionum inhasit fallacis: quapropter mente non poterat comprehendere, quomodo sit generatio ingenita, & qua ratione, quod genitum est, coeternum sit cum eo quod illud genuerit: adeo autem doctrina inops, adeoque sacrarum literarum rudis & ignarus

fuit, ac fallax duntaxat ratiocinandi genus & certandi studio comparatum (quod quidem ab indocto & agresti facile fieri possit) sibi acquisiverat, sic ut veteribus scriptoribus, qui sacra eloquia ad fidem Christianam spectantia interpretati fuissent, non modo non esset exercitatus, sed Clementem Africanum & Origenem, viros omni doctrinae sapientiaeque genere literate peritos, prorsus rejiceret, atque adeo epistolas, quas nugis litigiosis fallacibusque conclusivunculis dedita opera refererat ad Imperatorem Constantium, & alios nonnullos conscriberet. Ob quam causam Atheus nuncupatus est. Et quanquam eadem cum Arianis assererat, tamen à suis qui involutam & captiosam ratiocinandi viam ab eo habitam minime intelligere poterant, pro haeretico, utpote cum Arianis consentiente habitus est. Hæc de Aëtio Socrates, qui licet videatur ejus culpam in non intellectum potius quam intellectum Aristotelem rejicere, Aristotelem tamen effecisse scribit, ut hinc Hæreticus, inde Atheus haberetur.

Vicesimus tertius Theodoretus Episcopus Cyri libro IV. cap. XXVI. Didymus autem à puero sensu oculorum orbat, & poëticis ac rhetoricis disciplinis excultus est, & Arithmeticam, Geometriam & Astronomiam, Aristotelis syllogismos & Platonis facundiam aurium adjumentis didicit, non quasi veritatem ista doceant, sed quod arma sint veritatis contra mendacium. Hic diligenter observandum est, quâ ratione Didymi studia bonam in partem interpretetur. Didicit ille Aristotelis syllogismos, non qui veritatem doceant, sed quibus veritas defensetur: eos tamen libro de Religiosa hist. cap. XXVII. damnare videtur. Sic autem de Barradato loquitur: *Iam verò mentis intelligentia præstans, optime interrogat & responder, rectiusque interdum ac potentius argumentatur, quam qui in Aristotelicis labyrinthis versati sunt.* O egregiam Aristotelicæ disciplinæ cum labyrintho comparisonem, qua differendi modus impeditus & inextricabilis explicetur! Unde Catullus:

Ne Labyrinthis e flexibus egredientem.

Tecti frustraretur inobservabilis error.

Quæ cum ita sint, Theodoretus Didymum, quod Aristotelis syllogismos didicisset, excusare potius, quam laudare videtur. Itaque cum ex propria mente de Philosophorum syllogismis loquitur, longè aliter loquitur Sermone V. de natura hominis. Democritus, Epicurus, & Aristoteles, animam incorruptibilem esse liberè asseruerunt. Et post alia. *Aristoteles autem Platoni adhuc viventi manifestè adversatus est, bellumque contra Academiam suscepit, neque doctrina illi honorem habuit,*

buit, quam cupidissimè perceperat: neque celeberrimi viri gloriam est reveritus, neque Platonica eloquentia vimpertimuit, sed licenter illi adversarium se præbuit: cum haud sanè meliorum, sed multò pejorum dogmatum auctor extiterit. Nam cum ille animam dixerit immortalem esse, hic mortalem dixit: & cum ille Deum res omnes providentia complecti docuerit, hic quantum ejus verba sonant, terram divina providentia exsortem fecit. Ad lunam enim usque Dei gubernationem pertinere ait, cætera fato esse subjecta. Plurima verò & alia innovavit, quæ nunc recensere supervacaneum duxi. Illi ergo mutuas invicem merito demoliti sunt opiniones. Falsitas enim non solum veritati; sed & sibi ipsi contraria est: Veritas autem est sibi concors, & unam modò falsitatem infestam habet. Itaque pronum est invenire, de hominis natura, & Mosem legiflatorem, & Prophetam David, & fortissimum Iob, & Esaiam ac Ieremiam, universumque Prophetarum Chorum, Matthæum quoque, Ioannem, Lucam, & Marcum, & Petrum, ac Paulum, universumque Apostolorum Cœtum, consona ubique cunctos homines docuisse. Neque enim est horum audire, alium qui hos homines, alium qui illos indigenas ex se se ortos affirmet: neque alios qui mortalem, alios qui immortalem animam dicant: neque alios qui perturbationum dominam rationem, alios qui mancipium servamque asserant. Omnes enim concordi ratione docent, ex terra & aqua cæterisque elementis humanum corpus effictum esse; animam verò nequaquam ita in corpus demissam, ut antea existeret, sed corpore jam plasmate creatam esse. Et post alia. Omnes siquidem veritatis præcones, Propheta, inquam, & Apostoli, Græcæ quidem eloquentiæ expertes fuerunt: quia tamen verà sapientiâ abundarunt, cunctis & Græcis & Barbaris nationibus divinam attulere doctrinam, terramque universam, & maria scriptis de virtute ac pietate libris impleverunt: cunctique nunc mortales abdicatis Philosophorum nugis, piscatorum publicanorumque disciplinis fruuntur, & sutoris volamina amplexantur. Et post alia. Nos verò istorum lugemus insaniam, qui cum videant homines barbari sermonis Græcæ locutionis facundiam superasse, scitèque ornatas fabulas penitus profligatas, Piscatorumque solæcismis dissolutos fuisse Atticos syllogismos.

Vicesimus quartus, Aeneas Gazæus ex Philosopho Platónico Christianus in Theophrasto, ubi & de animorum immortalitate & de corporum resurrectione disputat: Aristoteles autem, inquit, discipulus diversum sentit, & animam excogitato novo nomine *ἐντελεχία*, id est, continuatam quandam ac perennem motionem appellat, quam existimat materia quasi extremam manum imponere, ac forma cum sit, simul cum corpore dissolvi. & post alia: An Empedocli assentiar, qui putat animam, ut peccatorum antea commissorum

forum poenas luat, in hanc vitam ablegari: aut Platoni potius adstipuler, qui modò statuit animam ad exolvenda supplicia, modò dicit eandem, ut illud, quod universum dicimus, perficiatur, idque modò sua sponte, modò coactam: jam a liuude excitatam, jam suo ipsius motu proprio emitti (Aristotelem enim, qui nimia quadam sua, atque intemperata sapientia falsus, animarum immortalitatem è medio omnem sustulit, silentio prætereo,) Reliqui deinceps hoc omnes agunt, ut alii aliorum sententias destruant atque convellant; quo fit ut & aliis & sibi ipsis contrarias opiniones prodant.

Vicesimus quintus Memesius Episcopus eandem incudem turdit libro de natura hominis: *Aristoteles*, inquit, qui animam dicit *ἐντελεχίαν*, nihilominus idem sentit, quod qui qualitatem eam esse volunt. Sed explicemus prius, quam *ἐντελεχίαν* vocet. & quibusdam interjectis. Quare aut mortalem animam dicat (Eunomius) ut *Aristoteles* & *Stoici*, qui voluerunt eam in corpore generari, &c. Hic auctor contra Eunomium disputans etsi videtur Origenianæ de animarum ortu sententiæ non nihil favere, in eo tamen, quod pertinet ad rem, aliis Patribus mirificè consentit. Quidquid id est; nævus in candidissimo pectore non multùm deformitatis importat.

Vicesimus-sextus, Sidonius Avernorum Episcopus libro IV. epist. III. Sentit ut *Pythagoras*, dividit ut *Socrates*, explicat ut *Plato*, implicat ut *Aristoteles*. Idem *carm. II.*

*Quæ vel Aristoteles partitus membra loquendi,
Argumentosis dat retia syllogismis.*

Aristotelem perinde habet atque eum, qui veritati laqueos parat.

Vicesimus-septimus Mansuetus Mediolanensis Episcopus in epistola ad Constantinum Imp: Nam si sunt, qui audacia Dialecticæ artis inflati, cottornata cervice, buccis tumescentibus, sinuosis circumitionibus, & flexuosis ambagibus, phaleris verborum, pompisque sermonum sua ferali calliditate simplicem fidei rationem convellere, & delegatas a Patribus regulas conculcare vel temerare voluerint. Et post alia: Si relegas insignissime Imperator, non cum Dialecticis, non cum Rhetoricis, non cum Grammaticis, sed cum Ruricolis & Piscatoribus Dominus posuit rationem, & his tradidit sui secreta consilii, quos & principes ordinavit. Cùm alios Philosophos intelligit, tum præsertim Aristotelem, cujus Dialecticâ hæretici contra Christianos utebantur:

Vicesimus-octavus Beda Presbiter Anglorum Doctor libro IV. IX. Samuelis: *In Concilio Nicano Gentilis quidam Philosophus Aristotelicis permultum armatus argumentis Christianos creberrime provocans, à nullo doctorum etiam dialectica arte illustrium quibat superari, donec exurgens miræ sanctitatis Episcopus, sophisticæ quidem locutionis funditus ignarus, sed divine fidei sapientia præclarus, multifidas ejus versutias simplici per omnia, sed veraci prosecutione cassaret. Hic Aristoteles arma suppeditat, quibus Christi religio impugnetur. Unde factum, ut Beda sic Dialecticam rejiciat in cap. VII. Levitici: Humana doctrina, Grammatica, aut Rhetorica, aut Dialectica, ex quibus in his, quæ de fide sentienda sunt, nihil accipiendum.*

Vicesimus-nonus Rabanus Moguntinensis Episcopus libro VIII. in Ecclesiasticum cap. XI. *Magis in omnibus claret Catholici Viri modesta doctrina, quæ in divinis libris consistit, quam omnis Philosophorum multiplex in disputando & in argumentando solertia. In hac enim paucis & puris sermonibus irreprehensibilis per omnia elucet veritas, in illa verò inexquisitarum rerum oberrans opinio garrula loquacitate, imò manifesta apparet falsitas. Perstringit quidem Philosophos omnes, sed præsertim Aristotelem, quem ab antiquioribus Ecclesiarum magistris repudiatum noverat, atque ut Christianæ fidei hostem acriter laceffitum.*

Trigesimus Remigius Lugdunensis in cap. II. epist. I. ad Corinthios: *Destructus est Plato & Aristoteles per mortem (Christi,) & eorum sapientia in Ecclesia pro nihilo ducitur. Si Remigius verum dicit, qui Aristotelem & ejus sapientiam in Ecclesiam inducit, Christi consilio repugnat. Quippe suo facto adstruit Aristotelem, qui à Christo destructus est.*

Tricesimus-primus Leo nonus in Epistola ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham & Leonem Acridanum Episcopum cap. II. *Illi verò incorruptibili caritati ejus, qua univit Ecclesiam, ut exhiberet sibi vestem gloriosam, non habentem maculam aut rugam, impias & sacrilegas manus ad discindendum crudeliter injiciunt, linguas magniloquas & dolosas ad confodiendum illam exacuunt, nihil pendentes ineffabili ac speciali artificio coæternæ Dei Patris substantiæ compactam & contextam, nec humano ingenio, seu Philosophorum syllogismis aut argumentationibus confutam. Stulta enim mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. Neque enim per Rhetores & Sophistas collegit piscatores, sed per piscatores & simplices piscatus*

est Sophistas & Oratores, quia sicut egregius Paulus dicit, non est in sermone regnum Dei, sed in virtute. At Philosophorum syllogismi & argumentationes cum ad alios, tum præsertim ad Aristotelem spectant, cujus Philosophia tunc vigebat in occidente.

Trigesimus-secundus Ernultus monachus Anglus, respondens variis quæstionibus, quas illi Vir quidam gravis, nomine Rambertus, proposuerat: In quarta, inquit, quæstione, sic quæritur: Si int. ger Christus sumitur, utrum solum corpus sine anima, aut etiam anima cum corpore sumitur? Cujus generis percunctationes ab his proponi solent, qui appetunt sapientes videri, quos magis delectat Philosophicis disputationibus elatè inservire, quàm ecclesiasticis disciplinis & sacris auctoritatibus humiliter ac fideliter obedire. Hi timentibus Deum à fide potius, quàm ratione probantibus, corpus Christi sanguinem que esse, quod sumitur de altari, decipulas hujusmodi obtendere solent. Corpus Christi, quod sumitur de altari, aut est animatum, aut inanimatum: si est animatum, mirum est, cur non ex se movetur. si verò inanimatum, quomodo est illud, quod surrexit à mortuis, & vivit in secula seculorum? Item sic ajunt; Corpus Christi aut est corruptibile, aut incorruptibile: Si est incorruptibile, quomodo frangitur, minuitur, inveteratur? Si autem est corruptibilis, qualiter verum est, veram resurrectionem illud accepisse, & verè incorruptibile particeps esse? Has ut dictum est, nodosas disputationes illi obycere moliuntur, quos amor humane laudis, quos favor fatigat popularis, qui gaudent imperitis scrupulosarum parare laqueos quæstionum, quibus sacrarum non sufficit robur & auctoritas Scripturarum, quibus cordi est potius sequi rationem sapientia secularis, quæ stulta facta est à sapientia Dei, quàm fidei veritatem, quæ inscrutabilia penetrat. Et quibusdam interpositis: Hoc idcirco dixerim, ut quæ sola fide intuenda sunt, in quæstionem non adducatis, quia non est utile animæ Christianæ insolitis disputationibus discutere mysteria Redemptionis nostræ. Hæc ex M.S. codice, qui Rotomagi asservatur in Bibliotheca V.V. ccl. Fratrum Bigotiorum. Porrò disputationes philosophicæ, quas auctor Ecclesiasticis disciplinis & auctoritatibus sacris opponit, aliæ non sunt præterquam Aristotelicæ; quas scilicet Aristotelis Philosophia suppeditabat, ut nostræ Redemptionis mysteria ludibrio exponeret.

Trigesimus-tertius Beatus Bernardus sermone II. in die Pentecostes: Gaudeo vos esse de hac schola, de schola videlicet spiritus, ubi bonitatem & disciplinam & scientiam discatis, & dicatis cum Sancto: super omnes docen-

dicentes me intellexi. Quare? inquam. Nunquid quia purpura & bysso me indui, & quia lautioribus epulis abundavi? Nunquid quia Platonis argutias, Aristotelis versutias intellexi, aut ut intelligerem, laboravi? absit inquam, sed quia testimonia tua exquisivi. Idem serm. I. in festo Apostolorum Petri & Pauli: Hi sunt magistri nostri, qui à magistro omnium vias vitæ plenius didicerunt, & docent nos usque in hodiernum diem. Quid ergo docuerunt, vel docent nos Apostoli sancti? Non piscatoriam artem, non sceno-factoriam, vel quicquid hujusmodi est, non Platonem legere, non Aristotelis versutias in versare. Item sermone II. de Nativitate Domini: Solus iste de sola virgine nascitur, & virginis uterum novo & singulari partu divinitus humana sigillat. Vbi nunc Aristotelicæ subtilitatis facunda quidem, sed infœcunda loquacitas? si peperit, cum viro concubuit, velit, nolit, vertitur in habitum privatio, nec adstringitur dialecticis terminis omnium terminator, ad cuius imperium perit natura, dissuescit consuetudo. Sic Platonem & præsertim Aristotelem à Christianorum scholis exigendum esse censet, qui à nonnullis Patrum ultimus est appellatus.

Hos autem habui diversarum Orientis & Occidentis Ecclesiarum Doctores, quos producerem & in unum veluti confessum congregarem. Et certè nescio, an unquam ullo in Concilio tot numerati fuerint viri sanctitate & scriptis illustres, quot hîc numerari possunt.

Ut ut sit, iis adjungimus sextam Synodum, in cuius actione XI. hæc approbantur; Constantinus piissimus Imperator, & sancta Synodus dixerunt: Similiter & liber relegatur. & accipiens idem religiosus lector & notarius Antiochus hujus librum relegit habentem in superscriptione ita: sermo missus à Macario Archiepiscopo Theopoleos Lucæ Presbytero & Monacho in Africa, qui scripserat de nova hæresi Maximianorum: & dum lectio ejusdem sermonis fieret, sancta Synodus dixit: Relecto jam libello Macarii, qui oblatu est piissimo & tranquillissimo nostro Domino atque magno victori Imperatori. Similiter autem & relecto & illo quasi prophanetico sermone, qui sicut superscriptus est, ad à Deo conservandam ejus fortitudinem factus est. & hoc expleto: Insuper autem ad relegendum incepto etiam præsentie sermone ad Lucam quendam Monachum Africæ habentem ordinem oppositionum & Aristotelis syllogismos, & dissonantem omnino à sanctis quinque universalibus Conciliis & sanctis probabilibus Patribus, qui numquam tale aliquid admisserunt, prævidimus interruptionem fieri lectionis de hujusmodi sermone ad Lucam, eo

quòd extranea sunt, atque aliena ab Ecclesiasticis dogmatibus, quæ in eo continentur, & sibi & veritati omnino contraria. Veteres hæretici ex Aristotele deprompserunt arma, quibus in arcem religionis nostræ invaderent. Catholici verò tractatores nullam Aristoteli fecerunt audientiam, eumque è scholis Christianorum abegerunt.

Hæc autem sunt illustria præjudicia, quibus cum uti potuerint Senonensis Concilii Patres, comburendos esse Aristotelis libros non immeritò decreverunt, atque eorum descriptione, & lectione commissis fidei suæ populis interdixerunt.

C A P U T III.

Nonnihil adhuc expressius & magis ad rem subnotatur. Beatus Bernardus, & Otto Frisingensis Dialecticam Aristotelis in Petro Abaelardo culpant. Galterus Prior Victorinus contra Abaelardum, Lombardum, Pictavinum & Porretanum, tanquam homines Aristotelico spiritu affatos, scribit. His accedunt Robertus Corceon & Sigebertus.

PRoximo cap. ea retuli, quæ Senonense Concilium satis diu præcesserunt. Nunc refero, quod contigit non multò ante Concilij tempus, cum Beatus Bernardus Abaelardo sese opposuit, & Dialecticam Aristotelis exprobravit. Sic enim ea de re loquitur in epistola ad Innocentium II. *Habemus in Francia novum de veteri magistro Theologum, qui ab ineunte ætate in arte Dialectica lusit, & nunc in scripturis sanctis insanit. Olim damnata & sopita dogmata; tam sua videlicet, quam aliena suscitare conatur & insuper nova addit.* Hoc loco de Aristotelis dialectica sermonem esse, colligi facile potest, cum ex iis, quæ sanctissimus Pater de Aristotele superiori cap. tradit, tum ex iis, quæ modò dicturus sum.

Otto Frisingensis Episcopus eadem de Abaelardo memoriæ prodidit libro I. de gestis Friderici primi Imperatoris: *Habuit primò præceptorem Roselinum quendam, qui primus nostris temporibus in Logica sententiam vocum instituit. & post alia: Inde magistrum induens Parisius venit, plurimum in inventionum subtilitate non solum ad Philosophiam necessariorum, sed & pro commovendis ad jocos animis utilium valens.* &

post

post alia: Sententiam vocum seu nominum in naturali tenens facultate non caute Theologiae admiscuit. Quare de sancta Trinitate docens & scribens, tres personas, quas sancta Ecclesia non vacua nomina tantum, sed res distinctas, suisque proprietatibus discretas hactenus & pie credidit, & fideliter docuit, nimis attenuans, non bonis usus exemplis inter cetera dixit, sicut eadem oratio est propositio, assumptio & conclusio, ita eadem essentia est Pater & Filius & Spiritus sanctus. Ob hoc Suesionis Provinciali contra eum Synodo, sub presentia Romanae sedis Legati congregata ab egregiis viris & nominatis magistris Alberico Remense, & Leutaldo Novariense Sabellianus hereticus iudicatus, libros, quos ediderat, propria manu ab Episcopis igni dare coactus est.

Sub illud tempus Lutetiae fuit e sancti Victoris coenobio, qui Petrum Abaelardum, Petrum Lombardum, Petrum Pictavinum, & Gilbertum Porretanum haereseos infimulaverit, quod Trinitatis & divinae Incarnationis mysteria spiritu censerent Aristotelico. Hic vocatur Magister Galterus Prior sancti Victoris, composuitque libros IV. quibus est titulus contra manifestas & damnatas etiam in Conciliis haereses, quas Sophista Abaelardus, Lombardus, Petrus Pictavinus & Gilbertus Porretanus libris sententiarum suarum acuunt, limant, roborant. Prologus sic incipit Quisquis hoc legerit, non dubitabit quatuor Labyrinthos Franciae, id est, Abaelardum & Lombardum, Petrum Pictavinum & Gilbertum Porretanum uno spiritu Aristotelico afflatos, dum ineffabilia Trinitatis & Incarnationis scholastica levitate tractarent, multas haereses olim vomuisse, & adhuc errores pullulare. Tum libro IV. Dialectici, quorum Aristoteles princeps est, solent argumentationum retia tendere, & vagam Rhetoricam libertatem, & Syllogismorum spineta concludere. Hi ergo in eo totos dies & noctes terunt, ut interrogent, vel respondeant, vel dent propositiones, vel accipiant, assumant, affirmant, atque concludant. & post pauca: Ex his (Dialecticorum regulis) sunt sententiae Abaelardi, Porretae, &c. Hinc de Petro Pictavino: Sicut enim rerum omnium, ita & propositionum infinita conversio est: Vnum idemque verum & falsum, & neutrum adhibitis mille differentiis facillime negat & probat. Si eis credis, utrum Deus, an non Deus, utrum Christus homo, an non homo, aliquid, an non aliquid, nihil, an non nihil, utrum Christus, an non Christus sit, nescis, & sic de ceteris. Hujus operis, quod multa scitu digna continet, exemplaria duo MSS. vidi in Bibliotheca sancti Victoris: alterum relatam supra inscriptionem habet, alterum caret.

Thomas Campanella disput. in prolog. instaurat. scient. art. 1. & alii rerum gestarum ignari, Hæresiarcham cum injuria vocant Abaelardum, qui Synodis Ecclesiæ acquievit, & apud Cluniacenses Monachos in pace & vitæ sanctimonia migravit.

Ad Petrum autem Lombardum quod attinet, illius sententiæ ventilatæ sunt in Consilio Romano, quod Alexander III. habuit; qui & de certis quibusdam Lombardi propositionibus ad Guilielmum Senonensem Archiepiscopum & Legatum rescripsit. Hæc altercatio ad plures annos duravit. Tunc Ioachimus Abbas, Florensis cœnobii in Lombardum, ejusque sententias paullò atrocius invasit, sed Innocentius III. impetum tandem repressit in Lateranensi Consilio, cui anno M.CCXV. præfuit. Utut sit, Galterus Prior, & Ioachimus Abbas, vel alii certè, id demum consecuti sunt, ut ex sententiis Lombardi postea fieret indiculus nonnullarum, quæ minimè docerentur. Hæc ad calcem Sententiarum designantur hoc modo: *Articuli, in quibus Magister sententiarum communiter non tenetur.*

Hic non possum silentio præterire, quæ Otto Frisingensis de Porretano tradidit lib. 1. de gestis Frederici cap. LII. *Ait ergo prædictus Episcopus (Pictaviensis) quid est, quod dicis esse Deum, nihil est, erat quippe quorundam in Logica sententia, ut cum quis diceret Socratem esse, nihil diceret. Quos præfatus Episcopus sectans talem dicti usum haud præmeditatè ad Theologiam verterat.* Deinde cap. LXII. *Dum ita per aliquot dies jam sæpe dictus Episcopus coram summo Pontifice de fide sua in civitate Parisius discuteretur, sentiens Papa utpote vir cautus & religiosus causa difficultatem protelandam, eam usque ad Concilium universale adjudicavit. Erat enim in proxima mediana quadragesimæ dominica apud Galliarum metropolim Remis generale indictum Concilium.*

Robertus Corçon Parisiensis Theologus graviter irridet & contemnit eos, qui Philosophicas, id est, Aristotelicas in Sacramentum Eucharistiæ propositiones intrudunt. Aristotelicas dico, quia quo tempore in Academia enituit, non alia, quàm Aristotelis Philosophia tradebatur. Sic autem scribit in Summa, quæst. de specie panis: *De iis, qui multas Philosophicas quæstiones proponunt in mysterio Eucharistiæ: Stultus quilibet potest in his secretis & mysteriis occultis plura inquirere, quàm totus mundus posset solvere.* Hæc autem Summa MS. est in Bibliotheca sancti Victoris. Robertus verò fuit suo tempore in Gallia se-

dis

dis Apostolicæ Legatus, & ad eum extant Innocentii III. Epistolæ, quibus quanta fuerit in eo & auctoritas & eruditio, cognosci potest.

Ad extremum Ioannes Trithemius de Abaelardi studiis sic pronunciat libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Ab hoc tempore (quo ille vixit) Philosophia secularis sacram Theologiam sua curiositate inutili fœdare cœpit. Scripsit volumen dialectica obscuritate subumbratum, multis sententiis varium, quod pranotare voluit Theologiam suam. Sæcularis Philosophiæ nomine Aristotelicam indicat, cui Abaelardus non indiligentem operam navaverat, & quam sic laudat lib. III. Introductionis ad Theologiam: Vnde Aristoteles in secunda qualitatis genere sanativum & durum ad potentiam reducit.*

C A P U T . I V .

Secunda Aristotelis fortuna recensetur & explicatur. In qua persistit vetita combustorum operum lectio, sed Dialectica in publicas scholas admittitur.

CIRCA annum M. CCXV. qui sedis Apostolicæ Legatus Parisiensem Academiam meliorem reduxit in ordinem, illique docendi modum præstituit; nequis Aristotelis libros de Metaphysica & Philosophia naturali legerit, interdixit. Sunt autem hæc illius verba: *R. servus crucis Christi divina miseratione tituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyter Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus, universis magistris & scholaribus Parisius salutem in Domino. Noverint universi, quod cum Domini Papæ speciale habuissemus mandatum, ut statui Parisiensium Scholarum in melius reformando impenderemus operam efficacem, nos de bonorum virorum consilio Scholarium tranquillitati volentes impofterum providere, ordinavimus & statuimus in hunc modum: Nullus legat Parisius de artibus citra vicesimum primum ætatis suæ annum, & quod sex annis audierit de artibus ad minus, nisi rationalis causa intervenerit, quam publicè vel coram examinadoribus debeat probare, quod non sit resper sus aliqua infamia, & quod cum legere disposuerit, examine- tur quilibet secundum formam, quæ continetur in scripto Domini Petri Parisien- sis Episcopi, ubi continetur pax confirmata inter Cancellarium & scholares à judicibus delegatis à Domino Papa, scilicet ab Episcopo & Decano Trecensibus, &*

à Petro Episcopo, & à Cancellario Parisiensi approbata & confirmata. & quòd legant libros Aristotelis de Dialectica tam de veteri, quàm de nova in scholis ordinariè, & ad cursum. Post alia: Non legantur libri Aristotelis de Metaphysica, & de naturali Philosophia, nec summa de usdem, aut de doctrina magistri David de Dinant, aut Almarici heretici, aut Mauricij Hispani. Post alia: Vt autem ista inviolabiliter observentur, omnes qui contumaciter contra hæc statuta nostra venire præsumserint, nisi infra quindecim dies à die transgressionis coram universitate magistrorum & scholarium, vel coram aliquibus ab Universitate constitutis præsumptionem suam curaverint emendare, legationis, qua fungimur auctoritate vinculo excommunicationis inrodamus. Actum anno Domini M. CCXV. mense Augusto. Hoc monumentum in codicibus & archivis Academiæ Parisiensis asservatur, & nuper in lucem editum est. Hæc est igitur altera librorum Aristotelis fortuna, qua recipiuntur alii, alii verò repudiantur. Recipitur quidem Dialectica seu Organum, sed Metaphysica & naturalis Philosophia repudiantur.

C A P U T V.

In hac fortuna ab antiquorum Ecclesiæ Patrum præjudiciis, & Senonensis Concilij decreto nonnihil receditur. Non Aristotelis, sed Beati Augustini Dialectica legebatur antea in scholis Lutetiæ.

SUPERIORI cap. alteram exposuimus Aristotelis fortunam, quæ si comparetur cum prima, casum habuit paullo tolerabiliorum. In prima hinc decernitur à Concilio, ut Aristotelis opera comburantur, inde prohibetur severissimè, ne à quoquam describantur. Tum antiqui Patres Dialecticam Aristotelis perinde ac cæteros libros averfantur & refugiunt, quippe qui putent ab illa non exiguam Christianæ religioni perniciem importari. In hac secunda Physicorum quidem & Metaphysicorum commentarii vetantur, sed Dialectica non vetatur, immo statuitur, ut ad illius præcepta literarii adolescentes informentur. Quo factum est, ut is Philosophus alienæ gloriæ hæreditatem creverit Lutetiæ Parisiorum. Hac enim in urbe sub illud tempus desit Augustini Dialectica doceri, quæ antè magno studio, summòque consensu docebatur. Ea de re insignis extat

extat locus libro 1. de vita Odonis Cluniacensis Abbatis: Odo vir beatissimus ex Francorum prosapia extitit oriundus, sed intra domum Willelmi robustissimi Ducis Aquitania est alitus; XIX. etatis sue anno apud Beatum Martinum Turonis est tonsus, ibique Grammatica laribus est educatus. Deinde apud Parisium Dialectica, Musicaque à Remigio doctissimo viro est instructus. & post alia: Odo his diebus adiit Parisium, ibique Dialecticam sancti Augustini Deodato filio suo missam perlegit, & Marcianum in liberalibus artibus frequenter lectitavit. præceptorem quippe in his omnibus habuit Remigium. Sic igitur usus obtinuerat, ut Lutetiæ Augustini Dialectica traderetur. Eam doctissimus ille vir Remigius tradidit, eam post Remigium Odo, & post Odonem alii tradiderunt. Verum tandem aliquando Augustinus Aristoteli, Christianus videlicet Gentili cessit.

C A P U T V I.

Tertia Aristotelis fortuna recensetur & explicatur. In qua combustorum operum lectio prohibetur, donec ab eis error omnis dispunctus fuerit.

AD annum M.CCXXXI. Gregorius IX. provinciale Concilium, quo proscribuntur Aristotelis opera, his verbis temperavit. Gregorius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis magistris & scholaribus Parisiensibus salutem & Apostolicam benedictionem. Parens scientiarum Parisius velut altera Cariatsepher civitas literarum cara claret, magna quidem, sed de se majora facit optari docentibus & discipulis gratiosa. In qua utique tanquam in officina sapientie specialis habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est, in quo rite conflatur. Ex quibus prudentes eloquij mystici murenulas aureas vermiculatas argento cudentes, & fabricantes monilia ornata lapidibus pretiosis, immo nulli pretio comparandis, sponsam Christi decorant. Et post alia: Circa statum itaque scholarium & scholarum hæc statuimus observanda. Et post alia: Ad hæc jubemus, ut magistri artium unam lectionem de Prisciano, & unam post aliam ordinariè semper legant, & libris illis naturalibus, qui in Concilio provinciali ex certa scientia prohibiti fuerint Parisius, non utantur, quousque examinati fuerint, & ab omni errorum suspicionem purgati. Magistri verò & scholares Theologie in facultate, quam profitentur, se studeant laudabiliter exercere: nec Philosophos se ostentent, sed sata-

Sant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebræam cum Aſotica confundentes, ſed de illis tantum in ſcholis quaſtionibus diſputent, quæ Per libros Theologicos & ſanctorum Patrum tractatus valeant terminari. Et poſt alia: Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ provisionis, conſtitutionis, conſeſſionis, prohibitionis & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contra-ire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani Pontificatus noſtri anno V. menſe Aprili. Hoc autem reſcriptum ſeu diploma in codicibus & tablino Pariſienſis Academiæ aſſervatur. Hæc eſt igitur tertia Ariſtotelis fortuna, in qua, qui libri de naturalia Philoſophia tractant, à ſcholis uſque prohibentur, dum ab omni erroris ſuſpicionem purgati fuerint. Atque ita dum Pontifex Senonenſe Decretum emollire videtur, graviffimè confirmat.

C A P U T V I I.

Ad hanc fortunam obſervantur magni ponderis tria.

IN hujus fortunæ volubilitate obſervanda nobis occurrunt tria, quæ non exiguæ digna conſiderationis videntur.

Secunda fortuna componitur cum tertia.

ET primò quidem in ſecunda fortuna Ariſtotelis de naturali Philoſophia commentariorum lectio interdicitur. In hac verò tertia permittitur, dummodo iidem commentarii corrigantur, hoc eſt, reſecentur ea, quæ Chriſtianæ religionis dogmatibus incommodare poſſunt. De Dialectica & Metaphyſica cum Gregorius in diplomate verbum nullum faciat, an admittantur, vel repudientur, incertum. Quidquid id eſt, Pontifex Senonenſis Concilii decretum emolliendo confirmat. Atqui ea ratione dici poteſt, & Pontificem & Concilium, cui cum Episcopis Pariſienſes magiſtri interfuerant, in eandem tranſiſſe ſententiam.

Simon Tornacensis propter nimium Aristotelis usum hæreseos accusatus, & alij aliter reprehensi.

DEINDE sub illud tempus, quo illa peracta sunt, floruit Lutetia Simon Tornacensis, qui quòd Aristoteli nimium addictus esset, in hæreseos crimen incurrit. Testatur id Henricus Gandavenfis libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. XXIV. *Simon Tornaci oriundus ex Dialectico subtilissimo, immo omnium liberalium artium fere sui temporis peritissimo, Theologica etiam Schola Parisius Cathedram meruit ascendere magistralem, in qua plurimos habuit auditores. Scripsit librum quem vocavit sententiarum suarum. Scripsit etiam questiones suas, quas in scholis suis disputatas determinavit Parisius. Exposuit etiam symbolum, quod dicitur Athanassi, subtiliter. Sed dum nimis & in hoc & in aliis scriptis suis Aristotelem sequitur, à nonnullis modernis hæreseos arguitur. Hoc autem mihi visum est dignum, quod hoc loco notaretur. Ad historiam enim hujus temporis, in quo versamur, pertinet, ut sciatur, fuisse, qui Lutetia Gregorii & provincialis Concilii decreto paruerint, & qui non paruerint. Paruerunt, qui Simonem hæreseos accusarunt cum in reprehensum à se crimen, opinor, non inciderint. non paruit Simon, qui ab illis hæreseos accusatus est. Aut certè si paruit, non eo paruit modo, quo suspicionem errorem declinaret.*

Præter istum Simonem fuerunt alii, quos Odo Theologus & Cancellarius Parisiensis, mox Cardinalis & Tusculanus Episcopus severè redarguit. Locus est in sermone Dominicæ II. post festum Trinitatis: *Et nota quòd cibo, quem tulerunt filij Israel de Ægypto, triginta diebus usi sunt, manna quadraginta annis ad notandum, quòd in scientiis Philosophorum modicum debemus morari, in Theologia omnibus diebus. Sed moderni totum tempus in seculari scientia expendunt, parum vel nihil de scientia Dei curantes: sicut rusticus, qui ventrem suum sic implet pane hordeaceo, quòd superaddere non potest de pane albo. Similiter quidam semper stant in ostio, & in domo Theologiæ nunquam intrant. Sed turpe est ut Mach. 11. in proæmio effluere, in historia succingi. Proæmium dico artes, historiam sacram scripturam: Artes sunt quasi ancilla: Theologia domina. Sic plerique adulterantur cum suis ancillis, de domina parum curantes, sed cõtra presumentes supra vires. Quòd forsan effectum est, ut B. Ludovicus Odonis æqualis,*

magistorum commentariis parum oblectaretur. Id testatum reliquit Gaufridus Bellilocus cap. XXIII. de vita illius: *Non libenter, inquit, legebatur in scripturis magistralibus, sed in Sanctorum libris authenticis & probatis, quos inter numerat Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Gregorium.* Atque ita magistrorum, qui tunc viverent aut vixerant, opera videtur veterum Ecclesiæ tractatorum libris opponere.

*Albertus & Thomas in vetitos Aristotelis libros scribunt commentaria:
Cur id ita factum.*

POSTREMÒ Albertum Magnum & Thomam Aquinatem ejus discipulum in Aristotelis libros commentaria edidisse constat; sed edidisse, cum libri recens damnati essent Parisiis, & à Gregorio IX. vetitum, nequis eos antè legeret, quàm essent emendati, per mirum videri posset. Hic celandum mihi fuit. Veritas occultari non postulat, quin etiam occultata erubescit. Illud Alberti & Thomæ factum accipiant alii, quomodo voluerint, omnino meus erit, qui benignius accipiet. Ego inter... hanc in partem interpretor, vel quòd Albertus & Thomas alibi, quàm Lutetiæ commentaria hæc scripserint, seque ab Senonensis Concilii Decreto, & ab imposita per Gregorium IX. Parisiensi Academia lege immunes crediderint; vel quòd cum Lutetiæ commentarentur, Concilii decretum, Gregoriique legem penitus ignoraverint. Non sum quidem nescius, Doctores illos potuisse ab Apostolica sede legendi Aristotelem commendandique veniam quærere, sed quòd quæsierint, invenire me nusquam memini. Obtentum id veniæ genus, etiam si petitum esset, ut facile credatur, non sinunt hæc Grægorii verba, si, ut oportet, considerentur: *Magistri verò & scholares Theologia in facultate, quam profitentur, se studeant laudabiliter exercere, nec Philosophos se ostentent, sed satagant fieri Theodidacti, nec loquantur in lingua populi, linguam Hebræam cum Aethiopicam confundentes, sed de illis tantum in scholis quæstionibus disputent, quæ per libros Theologicos, & sanctorum Patrum tractatus valeant terminari.* De reliquo rationes meas, quibus purgandi mihi sunt visi Albertus & Thomas, eatenus præsto, quatenus ab aliis plausabiliores exponantur.

Quæ cap. I. ex Rigordo & cap. III. ex Gregorio Papa IX. retuli, aliàs ediderim in calce cujusdam libelli, qui inscribitur *Syllabus*

rationum, quibus causa Durandi de concursu causa prima cum secundis defenditur, adversus inofficiosam quorundam recentiorum censuram. Thomas Campanella disput. in prolog. instauratarum scient. art. II. descripsit id totum, & postea cum sanctum Thomam non fuisse Peripateticum diceret, hanc in eam observationem subodoratus ita dixit: Nullo pacto putandus est Aristotelizasse, sed tantum Aristotelem exposuisse, ut occurreret malis per Aristotelem illatis, & crederem cum licentia Pontificis. Ego quoque non repugnanter crederem, si talis licentia compareret. verum si beatus ille Doctor viveret, culpandusque foret, sine dubio mallet cum veritate redargui, quàm excusari cum falsitate.

C A P U T. VIII.

Secunda Aristotelis fortuna repetitur, & Decreto Gregorii Papæ IX. aliqua ex parte derogatur.

AD annum M. CC. LXV. quarta Aristotelis fortuna numerari potuit, nisi quæ quarta esse potuit, eadem fuisset ac secunda. Sed hoc tempore Gregorii IX. præscripto cum derogatum sit non nihil, id observare operæpretium videtur. Res autem sic se habet in diplomate, quo Simon Sedis Apostolicæ Legatus secundam Aristotelis fortunam confirmavit: *Simon miseratione divina tituli S. Cæcilie Presbyter Cardinalis, Apostolica Sedis Legatus, universis presentes literas inspecturis salutem & sinceram in Domino caritatem. Noverit Univerſitas vestra, quod nos personaliter accedentes ad Ecclesiam sancti Maturini Parisiensis, presentibus Rectoribus & Procuratoribus Univerſitatis scholarium Parisiensium, & pluribus aliis, ipsisque Rectoribus, & Procuratoribus volentibus, ac claves præbentibus, quas habebant, arcam, in qua servantur literæ, & privilegia Univerſitatis ipsius, fecimus aperiri, in qua inter cetera invenimus ac vidimus, & diligenter inspeximus quasdam literas patentes, sigillatas sigillo pendentis reverendi Patris quondam R. miseratione divina tituli S. Stephani in Cælio monte Presbyteri Cardinalis, Apostolica Sedis Legati, ut prima facie apparebat, sanas & integras, non cancellatas, nec abollitas, quarum tenor talis est: R. servus crucis Christi divina miseratione tituli S. Stephani in Cælio monte Presbyter Cardinalis, Apostolica Sedis Legatus, uni-*

versis magistris & scholaribus Parisiensibus salutem in Domino. Noverint universi, quod cum domini Papæ speciale habuissemus mandatum, ut statum Parisiensium scholarum in melius reformando impenderemus operam efficacem, Nos de bonorum virorum consilio scholarum tranquillitati volentes impofterum providere, ordinavimus & statuimus in hunc modum: Nullus legat Parisiis de artibus citra vicesimum primum etatis suæ annum. Et post alia quæ cap. 4. retulimus. Quod legant libros Aristotelis de Dialectica tam de veteri, quam de nova in scholis ordinariè & non ad cursum. Legant etiam in scholis ordinariè duos Priscianos, vel alterum ad minus. Non legant in festivis diebus, nisi Philosophos & Rhetoricas, & Quadrivialia, & Barbarismum & Ethicam, si placet & quartum Topicorum. Non legantur libri Aristotelis de Metaphysica & de naturali philosophia, nec summæ de eisdem, aut de doctrina magistri David de Dinant, aut Amalrici hæretici, aut Mauricii Hispani: & post alia: Vt autem ista inviolabiliter observentur, omnes, qui contumaciter contra hæc statuta nostra venire presumpserint, nisi infra quindecim dies à die transgressionis coram Vniuersitate magistrorum & scholarum, vel coram aliquibus ab Vniuersitate constitutis præsumptionem suam curaverint emendare, Legationis, qua fungimur, auctoritate vinculo excommunicationis innodamus. Actum anno gratiæ M. CC. XV. mense Augusto. In quorum testimonium & fidem in perpetuum faciendam, præsentem literas per infra scriptum Notarium nostrum, qui omnibus prædictis interfuit, fieri fecimus, & in publicam formam redigi, ac nostri sigilli munimine roborari. Datum Parisiis X. Calend. Aprilis Pontificatus domini Clementis Papæ IV. anno primo. Sic altera repetita est Aristotelis fortuna, quæ cap. IV. explicatur. Sed illa cum videtur rursus in auctoritatem admitti, videtur quoque Gregorii IX. statuto derogari. Vetat Gregorius, ne ad Aristotelis Physicam, quæ naturalis philosophia dicitur, ante extinctionem errorum, quibus scater, lectio adhibeatur. In hoc verò decreto Simon Legatus naturalis philosophiæ lectionem simpliciter & sine ulla exceptione prohibet. nisi forsan id, quod egit Legatus, publicæ testificationis potiùs, quam instaurationis vel assertionis rationem habere dicatur. Quam in partem quis voluerit accipiet. quæ gesta sunt mihi sufficit narrasse. Physicæ adjungitur Metaphysica, cujus apud Gregorium nulla mentio, nisi naturalis philosophiæ titulo Metaphysicam quoque comprehendat.

CAPUT IX.

Quarta Aristotelis fortuna recensetur & explicatur. In qua nominatim exprimentur plures Aristotelis libri, qui legantur, præter Physicam.

ANNO M. CCC. LXVI. Cardinales duo, cum ex auctoritate Urbani V. Parisiensem Academiam reformarunt, Aristotelis libros paullo humanius adhuc tractavere. Res autem sic se habet in instrumento, quod in ejusdem Academiae armariis extat: *Miseratione divina Ioannes tit. sancti Marci, & Egidius tit. sancti Martini in montibus, Presbyteri Cardinales, Commissarii ad infra scripta à sanctissimo in Christo Patre, & domino nostro domino Urbano divina providentia Papa V. specialiter deputati, dilectis nobis in Christo Cancellario Ecclesie Parisiensis, ac magistris Doctoribus, & scholaribus universis, & singulis studii Parisiensis salutem, & sinceram in Domino caritatem. Et post relatam Urbani Papæ bullam, aliâque nonnulla: Item statuimus eadem auctoritate, quod scholares antequam ad determinandum in artibus admittantur, congruè sint in grammatica edocti, & doctrinale, & Græcismum audiverint, dummodo in studiis, aut aliis locis, ubi grammaticam didicerunt, dicti libri legantur.*

Item quod audiverint veterem artem totam, librum Topicorum potissime quoad quatuor libros, & libros Elenchorum, Priorum & Posteriorum complete, etiam librum de anima in toto vel in parte.

Item quod nullus admittatur ad determinandum in artibus, nisi ad minus fuerit studens Parisius per duos annos, omni dispensatione interdicta. Item quod nullus admittatur ad licentiam in dicta facultate, nec in examine Beatae Mariae, nec in examine Beatae Genovesæ, nisi ultra prædictos libros audiverit Parisius, vel in alio studio generali librum Physicorum de generatione & corruptione, de celo & mundo, parva naturalia, videlicet libros de sensu & sensato, de somno & vigilia, de memoria & reminiscencia, de longitudine & brevitate vitæ, librum Metaphysicæ, vel quod actu audiverit eundem, & quod aliquos libros Mathematicos audiverit. Et post alia: Prædicta autem omnia, & singula auctoritate prædicta mandamus per Cancellarios, Rectoris & magistris, Doctores & scholares prædictorum studii & Universitatis, præsentis & futuros cujuscunque fuerint dignitatis, nobilitatis, præeminentiæ, ordinis, gradus,

*& status, vel conditionis, inviolabiliter observari, non obstantibus &c. ut in præscriptis literis Apostolicis continetur, & cuicumque haberi volenti per vos Cancellarium antedictum, penes quem hoc præsens publicum instrumentum, hasque vestras literas volumus remanere, & per vos publicari, eorum cum petierint copiam dare, suis tamen sumptibus & expensis. In quorum omnium testimonium præsentem literas, seu præsens publicum instrumentum per Arnoldum Notarium publicum infra scriptum fieri, signari, & publicari mandamus, & appensionibus nostrorum sigillorum muniri. Datum & actum Avenioni in hospitio habitationis præfati domini Ioannis Cardinalis anno M. CCC. LXVI. Indict. IV. die V. mensis Iunii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & domini nostri Urbani divina providentia Papæ V. prædicto anno IV. In hac fortuna jam tum primùm nominantur Aristotelis opera, quæ legi permittuntur, immo ut legantur, de iisque interrogati scholares in examine publico respondeant, statuitur. Quæ verò non recensentur opera, ab Academiæ scholis adhuc excludi non immeritò creduntur. Sunt autem in eorum numero, quæ de physico auditu inscribuntur. Ceterùm quin Cardinales hujus reformationis auctores superioribus statutis derogaverint, negari non potest. Nam in provinciali Concilio cavetur, ne quis eos libellos, qui docebant *Metaphysicam, de cetero legere & scribere præsumeret, vel quocumque modo habere.* Inter decreta Legati, qui sub Innocentio III. Parisiensem Academiam redegit meliorem in statum, præcipitur, *ut legantur Aristotelis libri de Dialectica tam veteri quàm nova, sed ut non legantur libri de metaphysica, & de naturali Philosophia.* Hi verò Cardinales jubent ut liber *Metaphysicæ, & alia quædam opera, quæ ad naturalem philosophiam pertinent, legantur.* Sed in hoc factò ex antiquis Patribus, quos sequerentur, nullos, aut paucos hubuerunt.*

C A P U T X.

Quæ in hujus fortune decursu contigerunt, eoque pertinent, enarrantur.

AB hac fortuna ad proximam occurrunt nonnulla, quæ silentio prætermitti non possunt, nisi historiæ vis & nocumentum adferatur.

B. Thomas à Facultate Theologiæ notatus, quòd Aristotelis verba paullo frequentius usurparit.

IN PRIMIS vicesimus-primus ab hac reformatione agebatur annus, cùm Facultas Theologiæ Parisiensis tractatum adversus Ioannem Montesonum edidit, eumque Avenioni per oratores suos Romanæ Curiæ obtulit. In quo conqueritur, sanctum Thomam in eas leges, quæ superioribus capitibus expositæ sunt, & maximè in rescriptum Gregorii IX. peccasse. Tractatus verba sunt hæc ad calcem Magistri sententiarum: *Dicunt etiam quòd in terminis philosophiæ & naturalibus principiis in eodem libro cap. xv. erravit manifestè, ubi declarando qualiter Deus omnipotens dicatur, quædam non posse; inter alia dixit, quòd Deus non potest facere unum & idem esse, & non esse: quod est contradictoria simul: & postea subdit: quòd contradictio in contrariis & privativè oppositis includitur. Sequitur enim, quod si est album & nigrum, quòd sit album & non album. & post alia: Dicunt etiam quòd in pluribus locis doctrinæ suæ ipse erravit pro hoc quòd principia philosophiæ, seu potius quædam philosophorum verba ad conclusiones Theologiæ nimis applicavit. Non enim loqui taliter debent Theologi, qualiter loquuntur Philosophi, sicut docet Augustinus X. lib. de Civit. Dei cap. XXIII. dicens: Liberis verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficilimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est; ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem. Hoc loco Philosophorum nomine Facultas præcipuè intelligit Aristotelem, quo frequenter utitur beatus Thomas.*

Clemens Avenionensis Papa quorundam ætatis suæ Theologorum flagitiis confixit.

CLEMENS VII. qui Avenione sedit, & à Gallis adeoque ab Academia Parisiensi, legitimus habitus est Pontifex, malè excipit nonnullos ætatis suæ Theologos, qui peccatum idem peccabant. Hoc ita refertur ad annum M. CCC. XC. in historia MS. Caroli VI. quæ in Bibliotheca Thuana asservatur: *Sacram Theologiam par-*

vir pendeat. Cùm vir prepotens ei nepotem commendaret, quòd Theologia Parisius studeret, Quid, inquit, fatuitatis fuit ad hoc amicum dilectum applicare, cùm illi Theologi sint phantastici homines reputandi. Non omnes sine dubio perstringit, sed eos tantùm, qui non, ut oportet, vacabant sacræ doctrinæ, nec ad Gregorii IX. præscriptum Theologicas quæstiones dirimebant.

Cardinalis Alliacus in eosdem Theologos invehitur.

PETRUS ALLIACUS Parisiensis Theologus Cardinalis & Episcopus Cameracensis eosdem Theologos sic accipit in opusculo nondum edito, quod *Invectiva contra pseudo-pastores* inscribitur: Nullum eis (Pseudo-pastoribus) sacræ Scripturæ studium, nullum diuinæ sapientiæ colloquium, sed tota erat eorum occupatio circa sapientiam huius mundi, quæ stultitia est apud Deum: quia si fortè de sacræ Theologice Scripturis Parisius aliquid murmurabant, hoc inter epulas, hoc inter pocula, hoc inter coenas & prandia, hoc non jejuna mente, sed ventre saturo ructabant, unde eis poterat illud ironicum convenire. Ecce inter pocula quærun Romulidæ Saturni quia dia Poëmata narrent? O vilis quæstionum disputationes! O inutilis argumentorum collatio! Ibi erat frequentius quæstio vinolenta, nec deerat solutio virulenta. Ibi audiebantur blasphemie, damnabantur probatæ sententiæ; ibi Theologia, quasi sentilogia & doctores Catholici velut phantastici spernebantur. Ibi lex Constantini ultra legem Christi: & decreta Gratiani supra præcepta Domini colebantur. Sic licuit semper piis & doctis hominibus redarguere, quæ cum in cæteris, tum in sua potissimum facultate redarguenda cognoscerent. A quibus enim aliis id misericordiæ & pietatis opus expectaretur.

Parisiensis Cancellarius in eosdem Theologos invehitur.

Magistrum sequutus Ioannes Gerson Parisiensis Cancellarius eosdem severa reprehensione castigavit, & qua ratione phantastici dicerentur, exposuit sua in Marcum Lectione: Illius verba sunt: Deinde cur ob aliud appellantur Theologi nostri temporis Sophistæ verbosi & phantastici, nisi quia relictis utilibus & intelligibilibus pro auditorum qualitate transferunt se ad nudam Logicam, vel Metaphysicam, aut etiam

Ma-

Mathematicam, ubi & quando non oportet, nunc de intensione formarum, nunc de divisione continui, nunc detegentes sophismata Theologicis terminis obumbrata, nunc prioritates quasdam in divinis, mensuras, durationes, instantia, signa naturæ & similia in medium adducentes, quæ etsi vera essent & solida, sicut non sunt, ad subversionem tamen magis audientium vel irrisionem, quam ad rectam fidei ædificationem sæpè proficiunt. Non aliam præter Aristotelis Logicam significat vel Metaphysicam, quæ tunc in scholis terebatur omnium manibus. Idem in tractatu de examinatione doctrinarum Cens. 61. Porro si queratur à me quis inter ceteros doctores plus videatur idoneus? Respondeo sine præjudicio, quod Dominus Bonaventura, quoniam in docendo solidus est & securus, pius & justus & devotus: præterea recedit à curiositate quantum potest, non immiscens positiones extraneas vel doctrinas seculares dialecticas aut phycas terminis theologicis obumbratas more multorum.

Parisiensis Cancellarij viam insistit auditor Clamengius.

AD Joannem Gersonem magistrum discipulus appropinquat Nicolaus Clamengius in opere MS. quod de instituendo Theologiæ studio composuit. Quocirca miror, inquit, Theologos nostri temporis paginas divinatorum testamentorum ita negligenter legere, & in nescio quarum satis sterilium subtilitatum indagine sua ingenia conterere, utque verbis utar Apostolicis, languere circa quæstiones & pugnas verborum, quod Sophistarum est, non Theologorum. Quid autem languere circa quæstiones & pugnas verborum, & quid sibi illa verba volunt Apostolica? Illos certè reprehendere volunt, qui ommissa fertili, & fructuosa arbore sacrarum literarum, in silvaticis & sterilibus pabulum doctrinæ requirunt, inter quos languere dicantur, id est, fame ac jejunio, nullo ibi reperto fructu tabescere, & si quem fortè in illis fructum invenire contingat, similis est pontis Sodomorum, quæ exteriori quidem specie pulchra & decora videntur, ubi verò ea manu carpis, in pulverem ac fumum solvuntur. Pulchra namque primo conspectu videntur sophismata, ingeniosa, acuta, subtilia, sed si verborum soluta irrucatione fructum ibi requiras, velut fumus, evanescunt, quia intus inania fuerunt. Propterea scriptum est, Qui Sophisticè loquitur, odibilis est. & post alia: Nunc autem plerosque videmus scholasticos sacrarum inconcussa testimonia scripturarum tam tenuis estimare momenti, ut ratiocinationem ab

auctoritate ductam velut inertem & minimè acutam, sibilo ac subsannatione irrideant, quasi sint majoris ponderis, quæ phantasia humana imaginationis adinvenit. Eas intelligit argutias & subtilitates, quas pepererat recepta Aristotelis philosophia, & quibus ductam è Scriptura ratiocinationem Sophistæ Theologi postponebant.

Sic fuerunt omni tempore, qui quam profitebantur artem, malè profiterentur.

Beatus Vincentius Ferrerius idem cum amico suo Clamengio docet.

Vincentius Ferrerius ab excellentissimis illis Theologiæ magistris qui ætate sua floruerunt, dissentire non potuit: id testatur in sermone quem in commemoratione Sancti Pauli habuit: verba sunt; *Secundo dicit, prædicate Evangelium, non dicit Ovidium, vel Virgilium, vel Horatium, sed prædicate Evangelium, & post pauca: Ideo prædicate Evangelium, quia prædicare verba damnatorum, damnatio est: dicit enim Hieronimus, quod Aristoteles & Plato in inferno sunt. Hæc ille quem Clamengius & magistrum vocat, & cujus laudes & miracula epist. CXIII. persequitur.*

Nicolaus V. majorum statutis in Aristotele tacitus derogavit.

NICOLAUS V. qui anno M. CD. XLVII. Romanam sedem inivit, Gregorii IX. & aliorum Pontificum statutis hac in re nonnihil derogavit. Tantum enim abest, ut qui Aristotelis libri ex decreto Gregorii priùs corrigendi erant, quàm legerentur, eos corrigendos ediceret, ut omnium illius philosophi operum lectionem probaverit, & quò faciliùs intelligerentur, curaverit nova latinitate donari. Cardinalis Bessarion rem ita narrat in sua ad Alfonso Aragoniæ regem epistola, quam factæ à se Metaphysicorum translationi præfixit. *Magnum, inquit, illum Alexandrum Macedonem, inclyte atque invictissime princeps, editionem Metaphysicorum Aristotelis, quibus apprime eruditus fuerat, iniquo animo tulisse, memoria prodiderunt. Cujus rei rationem in literis, quas ad præceptorem suum Aristotelem dedit, facile expressit, quòd scilicet doctrina ac sapientia potius, quàm armis viribusque anteire ceteros cupiebat. Et quidem meritò, cum illud hominis, hoc animalis, illud ingenij,*

nij, hoc corporis sit virtus. Hunc tu, rex sapientissime, imitatus, neque armis solum, sed tot tantisque victoriis, quibus immortalem tibi gloriam comparasti, contentus; literis quoque modò divinis, modò gentilibus, & his cum ad sapientiam, tum ad eloquentiam conducentibus, non in pace solum, verum etiam in medium bellorum fervore incumbis. Et ita incumbis, ut cum summus in armis sis, summumque in re militari locum teneas, dubium sit hujusmodi rebus studentibus, quoniam magis excellas, armisne, scientia, potentia, an sapientia. Cujus rei argumetum est, quòd me, ut librum *Metaphysicorum* Aristotelis tibi Latinum facerem, efflagitasti, & ita efflagitasti, ut ego tanti principis tam honesto desiderio victus, oblitus fuerim meipsum, & tantam rem aggressus sim, quam veteres aggressi Latini, quid fecerint, quòve modo in Latinum verterint, aliorum sit iudicium. Ita certè verterunt, ut opus fuerit, & sanctissimum ac clementissimum dominum Nicolaum V. Pontificem maximum, qui omnis scientiæ, omnis diviniæ, humaneque sapientiæ doctissimus in Apostolicam sedem conscendit, quique ut loco & dignitate, ita Philosophia, Theologia, & omni optimarum scientiarum genere principatum obtinet, viros eligere utriusque linguae peritos, qui omnes ferè Aristotelis libros in latinam verterent orationem, & majestatem tuam ante illius in Apostolicum tribunal assumptionem à nobis petere, ut hunc, de quo loquimur, librum Latinum faceremus, quem jamdum à me perfectum, tuæ sacræ majestati, rex inclyte, dedicavi. Hunc qualiscunque erit, cum tua serenitas hilari vultu acceperit, non dubito, ceteris quoque ob auctoritatem & dignitatem tuam, gratum acceptumque futurum. Ecce tibi Bessarion, qui ex eo laudat Nicolaum V. Pontificem, quòd omnes ferè Aristotelis libros in Latinam traduci orationem curarit.

Gravis de Platone & Aristotele contentio inter Card. Bessarionem, & Marcum Ephesinum.

Huc spectat gravis illa de Aristotele & Platone contentio quæ Bessarionem, & Marcum Ephesinum acerrimè inter se commissos tenuit. Cujus rei historiam damus ex Bessarione libro 1. contra Calumniatorem Platonis cap. 1. Secundo libro, inquit, opiniones Aristotelis nostræ religionis verissimis, optimisque sententiis consentaneas esse conatur ostendere, ac promde veriores: Platonis autem dissentire nostris, ideòque falsas esse

& à veritate prorsus alienas. Deinde lib. II. contra eundem Calum-
 niatorem cap. 1. Nunc quoniam adversarius secundo volumine eum
 (Aristotelem) asserit, qui ad veritatem Christianæ religionis & sanctæ Ec-
 clesiæ doctrinam propius accesserit, longè ceteris sapientio-rem esse judi-
 candum, tum Platonem multò Aristotele inferiore facit, quòd ille à Do-
 ctorum nostrorum sententia alienissimus esset; hic verò maxime cum his con-
 sentire videatur. Nos hujus quoque rei contrarium planè, nisi nos ani-
 mus fallit, ostendemus, & doctrinam Platonis magis, quàm Aristotelis no-
 stræ religioni consentaneam esse demonstrabimus. Quod non ideo faciemus,
 quia Platonem aut existimemus, aut velimus ostendere Christianum esse:
 Alienus enim uterque à nostra fide tam Plato, quàm Aristoteles fuit, &
 ut nomine, sic & religione gentilis uterque: propter quod frustra Aristote-
 lem hoc loco laudat adversarius & inops consilij, quo vera dicere videatur,
 ad religionem refugit, ut solent rei capitis, querenda salutis gratia ad asy-
 lum se, aramque recipere. Itaque non est consilium laborare, ut Platonem
 Christianum fuisse ostendamus, quemadmodum de Aristotele facit adversarius:
 sed ita hunc locum conabimur tractare, ut si quis ex auctoritate quoque gentili-
 um Philosophorum veritatem nostræ religionis corroborare voluerit, Platonis
 plus libris, quàm Aristotelis id effici posse demonstremus. Cùm autem cerne-
 ret adversarius, Doctores Ecclesiæ, viros ut vitæ sanctimonia, ita tam no-
 stra, quàm gentilium doctrina insignes, Platonis magis, quàm Aristotelis
 opiniones cum suis conciliare, & illius quidem testimonio omnibus ferè in
 rebus uti, Aristotelis vix unquam facere mentionem. Primum eos refel-
 lere conatus est, & existimationem, quam omnes de divina illorum sapien-
 tia conceperunt, animis abolere. Itaque suo potius, quàm illorum judicio
 standum suadet. Nam quæ Doctores nostri, inquit, afflati divino spiritu
 scripserunt, si ad fidem duntaxat, & mortalium salutem pertinent, teneri
 credique ab omnibus fas est. Reliqua verò non ita recipienda sunt, ut à san-
 ctissimis viris tradita fuere. Atqui si in iis, quæ ad fidem & veram religio-
 nem pertinent, credendum esse existimas, ô bone vir! Platonis autem verbis
 sanctissimi viri utuntur ad fidei & veræ religionis confirmationem, cur æquum non
 censeres, præberi eis fidem, dum in his Platonem longè Aristoteli præferendum ex-
 istimant? Quod si Doctores nostri sancti quidem tantummodò, & Deo dediti
 fuissent, optimarum verò artium studia, vix summis, ut aiunt, labris degustas-
 sent, concederem tibi profectò Geometræ potius in rebus ad Geometriam perti-
 nentibus, quàm sanctæ simplicitati esse credendum, & fidem adhibendam, quàm
 iis,

is, qui rudes fuissent atque ignari, tamen si vita sanctitate insignes haberentur. At si qui cum sanctitate ad summum etiam doctrina & sapientia pervenerunt, legeruntque Platonis atque Aristotelis libros, & utriusque philosophi opiniones sunt diligentissime perscrutati, quales fuerunt apud Græcos Basilus, Gregorius, Cyrillus, Gregorius alter; apud Latinos vero Augustinus, Beatus, & alij complures sapientissimi viri, & Philosophiæ studiis illustres, & tamen cum de vera religione differuerunt, gentiliū philosophorum auctoritatibus libenter innixi sunt, quo pacto existimas te unum, spretis auctoribus illis sequi oportere? Sed nos & quicumque mentis compotes sunt, te dimisso Doctores nostros sanctissimos & sapientissimos viros sequemur, eorumque sententia rem à nobis propositam ostendemus. In hac autem contentione Bessarion ad stipulatores habet antiquos Ecclesiæ Patres, quorum testimonia retulimus cap. II. Marcus verò Ephesinus recentiores Academiæ, quæ suis in scholis Platoni Aristotelem prætulerunt. Sed Bessarion, cum Aristotelis Metaphysicam in Latinum sermonem vertit, id sine dubio fecit, quod primæ, secundæ & tertiæ librorum Aristotelis fortunæ vix conveniret.

C A P U T X I.

Quinta Aristotelis fortuna recensetur atque explicatur. In qua Cardinalis Totavillæus memoratis in superiori fortuna libris moralem Philosophiam adjecit, sed commentarios de Physico auditu prætermisit.

ANNUS agebatur millesimus quadringentesimus quinquagesimus-secundus, cum Caroli VII. regis auctoritate factum est, ut Guillelmus Cardinalis Totavillæus Academiæ Parisiensem instauraret. Quo in opere præcedentium instauratorum statuta modò confirmavit, modò nova quædam adjunxit. Sed quæ nostrum spectant negotium, sic se habent in Reformatione Facultatis Artium: Item sequens approbamus statutum, quod scholares priusquam admittantur ad determinandum, audiant veterem artem totam, librum Topicorum potissime, quoad quatuor libros, & libros Elenchorum, Priorum & Posteriorum completè, etiam librum de Anima in toto vel in parte. Et post alia: Item illud statutum innovamus, quòd nullus admittatur ad licentiam in dicta Facultate, nec in examine Beatae Mariæ, nec in examine Beatae Genovesæ, nisi
ul.

ultra prædictos libros audierit Parisius, vel in alio Studio generali librum Physicorum de generatione & corruptione, de Cælo & mundo, parva naturalia, videlicet libros de sensu & sensato, de somno & vigilia, de memoria & reminiscencia, de longitudine & brevitate vita, librum Metaphysicæ, vel quòd actu audiat eundem, & quòd aliquos libros Mathematicales audiverit, quòdque audiverit libros morales, specialiter librum Ethicorum, quantum ad majorem partem. Ad hoc autem statutum, quod pernecessarium est, adjicimus præcipientes, ut prædicti libri audiantur, non cursim, & transcurrando, sed studiosè & graviter. Specialiùs autem monemus magistros, ut non permittant suos scholares & Baccalarios ad Tentamen exhiberi, nisi sciverint ipsos sufficienter in prædictis esse instructos. Specialiùs autem mandamus, quatenus ipsi scholares diligentius insistant Metaphysicalibus libris & Moralibus addiscendis, alioquin in Tentamine volumus & mandamus illos, ut merentur, repelli. Hæc ille literarum in Academia jam fenescentiam ac dissipatarum reductor & reformator. Aliud est igitur, in quo hæc fortuna cum superiori convenit, aliud, in quo differt. Convenit quidem, quia eadem Aristotelis opera legenda vel audienda præscribuntur, & inter ea, octo Physicorum libri non comparent: differt verò, quia præcipitur maximè, ut Aristotelis Ethica legantur vel audiantur. Quod præcepti genus in Metaphysicales etiam libros cadit.

C A P U T X I I.

Nonnulla in hanc quintam Aristotelis fortunam animadvertuntur.

Totavillæus à Gregorii IX. decreto non recedit, sed à Provinciali Concilio nonnihil videtur recedere.

Hic Universitatis instaurator Ioannis & Ægidii Cardinalium viam institit, & à Gregorio Pontifice non recessit. Is enim veterat, nequis antè naturalis Philosophiæ libros in Academia legeret, quàm ab erroribus expurgarentur. eos itaque Totavillæus legendos vel audiendos minimè proposuit, quòd Pontificis decreto nondum esset,

esset, opinor, factum satis. Ad Provinciale Concilium quod attinet, si Metaphysicæ nomine apud Rigordum Physicam & Metaphysicam comprehendit, legi, qua Metaphysicæ prohibita est lectio, Totavillæus derogavit: nam statuit, ut Facultatis Artium candidati Metaphysicorum libris operam ac studium diligentissimè navarent. Si verò Concilium Metaphysicæ nomine Physicam tantùm intelligit, non derogavit.

Totavilleus ex omnibus Academia instauratoribus primus est, qui ut Aristotelis Ethica legerentur, constituit. Publica unius Ethicorum Lectoris professio suppressa.

Quos de morali disciplina libros Aristoteles edidit, priùs in Academia legebantur, & à Buridano, aliisque illustrati fuerant commentariis, quàm Totavillæus illam reformaret. Ille tamen primus extitit, qui ut legerentur, publica auctoritate edixit. Proculdubio sunt quædam iis in commentariis, quæ Christiano dogmati non consentiunt. Sed cum sanis sana sint omnia, id mali genus neque Academia, neque Cardinalis reformidavit. Tunc temporis Ethica non docebant singuli Philosophiæ Professores, sed unus tantùm, quem unoquoque biennio sua quælibet Natio vice & ordine legebat. Hæc autem docendi forma optimis de causis abrogata est. Rem ita narrat Robertus Gouletus Parisiensis Theologus in libello, quem de Academiae magnificentia juris publici fecit anno M. D. XVII. Fuit retroactis temporibus generalis & publicus Ethicorum lector super examinandos in utroque examine licentiandos, stipendia non modica recipiens, qui circa festum Purificationis per Artium Facultatem de aliqua prædictarum Nationum per vicos eligebatur, & suas lectiones per duos annos continuabat. Sed propter insolentias, perpetrataque in hujusmodi electione homicidia, cessavit talis lectio, & novo condito statuto quilibet artium regens specialem suis scholasticis facit Ethicorum lectionem, à quibus in fine cursus moderata pro labore suo recipit stipendia.

De Aristotele Theologicis nimum immixto gravium & eruditorum Scholasticorum Hangeſti, Majoris, Almaini, Clichtoevi, Pighii, Cani, Maldonati, Trithemij, Franciſci Rothomagenſis Epifcopi, & facultatis Artium Pariſienſis Academia querela.

UT in ſuperioris, ita & in hujus fortunæ decurſu graves & eruditi viri non diſſimularunt fuiſſe, qui Theologiæ quæſtiones ad relatam Gregorii Papæ IX. legem non expenderint, & Ariſtotelicis ſophiſmatibus infulcarint. Hieronymus Hangeſtus Pariſienſis Theologus in libro, quem de Academiis adverſus Lutherum edidit, hinc Theologos, qui id fecerant, redarguit, inde redarguendam non eſſe Theologiam contendit. Verba ſunt è cap. II. *Ob nonnullos Profeſſores nequaquam declamanda eſt Scholaſtica Theologia in ſophiſmata paulatim delapſa: ſiccine apud huiusmodi vanos reſidet univerſa Schola auctoritas? Revera minimè. ac potiùs exploduntur illi ac riſui habentur.* Quo factum eſt, ut tunc Scholaſtica Theologia aliter atque aliter defini-
retur. Lutherus apud eundem Hangeſtum laudato cap. eam Theologiam ita definit: *Scholaſtica Theologia eſt ea, quæ à Pariſienſium Sorbona mixtione quadam ex divinis eloquiis & philoſophicis rationibus, tanquam ex Centaurorum genere biſormis diſciplina conſtata eſt.* Hanc definitionem Hangeſtus uti falſam refellit, & ea, quæ antè citavimus, ſubnectit. Tum cap. III. Scholaſticam Theologiam hoc modo definit: *Scholaſtica Theologia eſt divinarum Scripturarum peritia, recepto, quem Eccleſia approbat, ſenſu, non ſpretis orthodoxorum Doctorum interpretationibus, & cenſuris, ac interdum aliarum diſciplinarum non contempto ſuffragio.* Unde Joannes Major Hangeſto æqualis lib. I. Sent. quæſt. IV. prologi eum nominat Theolum, qui multos paſſus Scripturæ ſacræ intelligit, & unum paſſum ſcit exponere per alium, & facere omnia quadrare. & ſic patet, inquit, quòd unus Theologus eſt melior, quàm alter, qui plura Theologalia novit, & ſolidior arbiter eſt ad lites in ea dirimendas. Si quis autem quæ Scholaſtici Doctores ſcripſerunt, ad utramque definitionem, improbatam unam, alteram probatam, examinet velut ad ſtateram, omnia nullo diſcrimine componet. Quæ enim ſcripta in improbatam definitionem quadrare comperiet, ea cum Hangeſto & Majore rejiciet: Quæ verò in probatam definitionem convenire ſtatuet, ea meritò retinebit.

Atenim extitisse Theologos, qui convenienter huic instituto suo non agerent, docet ipse Major in II. Sent. dist. XXX. quæst. IV. editionis tam anni M. D. X. quàm anni M. D. XIX. De Doctoribus, inquit, pudet loqui. Multi enim eorum magis sunt doctrina, vel dictis potius suorum doctorum addicti, quàm famatissimis sanctis Patribus pariter ac eruditissimis; dummodo manu teneant suos, non est eis cura, quid senserit Aristoteles in naturalibus, vel Augustinus in sacris eloquiis. Tunc abrogata erat interdictio, qua cautim olim fuerat, ne quis naturalem Aristotelis Philosophiam legeret omnino, vel certè non legeret inemendatam.

Æqualis utrique Hangesto & Majori Jacobus Almainus Parisiensis quoque Theologus, quod olim Gerson damnaverat, non obscure damnat in quart. Sent. dist. XVI. quæst. II. *Vtrum remissio culpa precedat infusionem gratia, sive sit una mutatio.* In illa questione magna est inter Doctores altercatio. Sed parva difficultas & utilitas. Enimvero utilitas non esset parva, si hæc quæstio quoad disputandi formam è schola Christi, non Aristotelis prodiret.

His quoque æqualis Judocus Clichoveus flagitium istud exagitat in sermone de beato Thoma Aquinate. Non parum dolemus miseram nostræ tempestatis sortem, qua tam fertilis & secunda doctrinae seges passim negligitur & pro nihilo ducitur. Anfructuosa verò dogmata, captivunculas, fallacias, paralogismos ubertim eructantia habentur in pretio, diurna pariter & nocturna versantur manu. Siccine præstantissimi Patres abstracta divinarum literarum sensa reclusum iri putandum est, cum Sophismatis, tencediculis, & argutiosis nil nisi futile quiddam & inane molientibus, alios ut pedicis irretire, implicare, illaqueare contenditur? Hujusmodi planè multiplicæ hydras, & implexos instar Gordiani nodi laqueos in rebus potissimum divinis pertractandis sacra quoque Scriptura detestatur, inquiens, qui Sophisticè loquitur odibilis est. Atqui cum cavillationibus, captionibus & importunis id genus calumniis S. Thomæ caterorumque probatorum auctorum doctrina posthabetur, aliud sanè meo judicio nihil efficitur quam quod limpidissimus defecatur fons aquam vivam scaturiens, ut ex turbulento rivo lutosa hauriretur aqua. Hæc ille qui primis è Parisiensibus Theologis adversus Lutheranos calamum strinxit, quique postea reliquum vitæ suæ tempus confutandis illorum erroribus transmittendum putavit.

Albertus Pighius qui tunc in Germania cum sectariis pugnabat fortiter, eandem veræ Theologiæ calamitatem conqueritur lib. 61. Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. 16. Nam *paradoxa*, inquit, ut videantur pleraque, quæ ex Theologicis illis principiis (Scriptura & traditione) alioqui sunt evidentissima, fecit sacrarum Scripturarum & Ecclesiasticæ illius antiquitatis, orthodoxorumque patrum, qui tam diu regnavit, neglectus, & recepta pro illis profana quadam quidvis ex suo statuendi definiendique iudicio, impiaque temeritas nuper quorundam, qui Sophisticis magis ratiunculis, quàm ad certissima illa, quæ ostendemus principia, expendebant omnia: nunc verò nonnullorum qui fastu secularium literarum inflati, in singulis pro suo iudicio pronunciant, & se divinorum humanorumque omnium Aristarchos constituunt.

*Canis de multis questionibus in Theologia tractari solitis
censura.*

Verum enim verò licet Canus id non prestiterit, quod optassem ab illo præstari: Id tamen IX. cap. VII. præstitit, quod ad propositum illud accedit. Adscribo verba illustrissimi Doctoris: In hoc tamen disciplinarum genere, Theologiæ Professoribus & honesto & necessario, duo illa vitia maxime vitanda sunt, quæ Cicero commemoravit. Vnum, ne incognita pro cognitis, incertaque pro certis habeamus. Qua in re etiam in Theologia multa peccantur. Ut illi, qui D. Thomæ Scotique opiniones vel indiscussas amplectuntur, proque his non aliter pugnant, ac pro aris & focis. Quamvis autem qui nihil certò comprehendendi posse existimarunt, multa illi absurdè dixerint, hoc præclarè tamen, debere sapientem ea, quæ sibi probabilia viderentur, sequi; quæ contra, improbare, atque affirmandi arrogantiam vitantem fugere temeritatem, quæ à sapientia dissidet plurimum. Sed hoc vitium effugere qui volet, non satis est, si ad res considerandas adhibeat & tempus & diligentiam, nisi ad ea etiam quæ ignorat, à doctissimis quibusque interroganda adhibeat & curam & modestiam. & post alia: Præclarè autem cum eo agatur, cui præceptor contigerit & eruditus pius: qui cum certa ab incertis separet, tum vanis questionibus declinatis utiles necessarias seligat, doceatque discipulos esse quandam doctam, ut ita dicam, ignorantiam, sapientiusque esse, quadam nescire quàm scire.

Alterum enim est vitium, quod quidam nimis magnum studium multaque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. Quo in genere multos etiam è nostris peccasse video, ut eas quoque quaestiones latissime persequerentur, quibus Porphyrius abstinuit, homo impius, sed in hac re prudens tamen, ut Platonis Aristotelisque discipulum possis agnoscere. Qui nec quicquam nisi oportunis & loco & tempore tractavere, nec quaestiones ulla persecuti sunt, quae juvenum ingenia obruerent, non juvarent. Nostri autem Theologi importunis vel locis longa de his oratione differunt, quae nec juvenes portare possunt, nec senes ferre. Quis enim ferre possit disputationes illas de universalibus, de nominum analogia, de primo cognito, de principio individuationis (sic enim inscribunt) de distinctione quantitatis à re quanta, de maximo & minimo, de infinito, de intensione & remissione, de proportionibus & gradibus, deque aliis hujusmodi sexcentis, quae ego etiam, cum nec essem ingenio nimis tardo, nec his intelligendis parum temporis & diligentia adhibuissem, animo vel informare non poteram. Puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerent, qui haec tractarunt. Quid verò illas nunc quaestiones referamus. Num Deus materiam possit facere sine forma, num plures Angelos ejusdem speciei condere, num continuum in omnes suas partes dividere, num relationem à subjecto separare, aliasque multò vaniores, quas scribere hinc nec libet nec decet, ne, qui in hunc fortè locum inciderint, ex quorundam ingenio omnes Scholae auctores aestiment. Justissima est eruditi & pii Theologi querela, cum hinc notat nonnullos ejusdem secum professionis homines, quibus vel in docendo Porphyrii sobrietas displicuerit (qualem hominem suis vincunt inventis & argutiis;) inde concinnat syllabum paucarum de sexcentis quaestionibus, quas in Scholis Theologiae perenni obrui silentio, quam otiosissima occupatione ventilari praestaret. Augustinus diceret, non doctrinae vitium esse, sed docentium. Sic enim sanctus Doctor ad Marcellinum scribit epist. v. Possem similia vel fortasse etiam graviora de Imperatoribus non Christianis & ego commemorare, ut intelligerent vel hominum haec esse vitia, non doctrina: vel non Imperatorum, sed aliorum, sine quibus Imperatores agere nihil possunt. Rectè igitur & appositè Canus omnia, nisi forsan beati Thomae opportunitatibus nonnihil metiri videretur. Sed apertè sentire timuit, contra quam sentit vulgus Theo-

logorum Ordinis sui. Non enim semper licet, nec tutum est etiam in iis, quæ explorata sunt, vel exploratu facilia, supra captum cujuscunque vulgi sapere & pronunciare.

Ioannes Maldonatus de instituendis Theologiae disputationibus præcepta tradit.

Joannes Maldonatus illustris è societatu Iesu Theologus Melchiorum Canum sequitur in oratione quam anno M. D. LXXIV. Lutetiæ pro scholis habuit in Claromontano societatis suæ collegio. In hac igitur Oratione, quæ sine dubio gravissima, & nervosissima est, quibus modis habendæ sint disputationes Theologiæ, ita docet: *Audite nunc dum doceo, quibus de rebus disputari debeat: quia in re primum præceptum esse velim diligenterque ab omnibus servari, ut nemo quicquam in ulla arte, nisi quod verum aut probabilius esse putet, ad defendendum proponat. In quo multos aut perversitate ingenij, aut ambitione, aut imprudenti exercitationis studio errare video. Ea enim sæpè defendunt, quæ falsa esse neque ignorant neque privatim interrogati negant. Quod si ostentandi ingenij causa faciunt, ut solent plerique dicere, intelligant se non acumen ingenij & imprudentis aliquid contra quam sentiat etiam voce aut quacumque alia de causa defensare. & post alia: Alterum præceptum est ut nunquam de rebus quæ pietatem ledere vel minuere posse videantur disputemus, nisi ipsa fortasse aliquando pietas à nobis postulet, ut se cum aliquo suo periculo minore à majore periculo liberemus. Quapropter nolim equidem eas questionem in Theologicis Scholis unquam audiri, an corpus Christi potuerit esse in Eucharistia ante incarnationem eodem modo, quo nunc est, an filius Dei fieri potuerit fœmina, an potuerit assumere naturam nescio quam, quam pudet me sanè nominare: deinde rebus aut inutilibus aut alienis aut ridiculis abstinendum esse censeo. Divus Augustinus, quem merito Theologi tanquam optimum magistrum ac ducem sequimur, curiosam & supervacaneam questionem vocat, quomodo corpus Christi in cœlo locatum sit, imprudentem verò, an divus Paulus una cum corpore in tertium cœlum raptus sit, inutilem & hominum imprudentium, qua figura sit cœlum? quæ tamen omnia non omnino à divinis literis alieni videri poterunt. Quid si nunc in frequentissimis ac celeberrimis Theologiæ Scholis, ubi nihil videri, nihil audiri nisi sapientia, nisi gravitatis, nisi pietatis, nisi utilitatis plena oportebat, magnis nos*

clamoribus altercantes vir sapientissimus audivisset : an in materia sint rationes seminales ? an materia sit principium individuationis ? an elementa maneant formaliter in mixto ? an caritas augeatur per additionem gradus ad gradum ? an per majorem radicationem in subjecto ? Quid si illa ridicula ? an Sacramenta sint in aliquo predicamento ? an asinus possit bibere baptismum ? quid, inquam vir prudentissimus dixisset, nisi nos magnorum clamore atque contentione tempus perdere, quod ad minimam partem earum rerum comprehendendam, quæ non solum utiles sunt, sed etiam necessariae, si multo longiorem haberemus vitam, minimè sufficeret : quid, inquam, dicere potuisset, nisi quod de sophistis sapienter dixit, valde eos serio & subtiliter delirare. Non est Theologia mea quidem sententia ita tractanda, ut hæreticis usum moveat, sed ita ut terrorem incutiat, malèque de ea mereri mihi videntur ij, qui dum eam maximi augere & amplificare istis non necessariis volunt, maxime ridiculam faciunt. Non refert quàm longa, quàm lata, quàm subtilis habenda sit, sed refert, quàm vera, quàm utilis Ecclesie, quàm gravis, quàm fortis, quàm hæreticis formidabilis. Hæc ille, qui cum reliquis animi virtutibus tum acri judicio & singulari prudentia valuit cæterum hæc oratio cum aliquot aliis & multis ad diversos epistolis extat in codice, qui auctoris manu holographa exaratus asservatur Lutetiae in bibliotheca Puteana.

Idem tomo II. de pœnit. part. III. de natura pœnit. in responsione ad quandam de tribus pœnitentiæ partibus objectionem. Respondeo sensum Ecclesie non esse revocandum ad regulas philosophorum, sed potius ad vulgarem & communem loquendi consuetudinem. vocat ergo tres partes pœnitentiæ, non quòd intelligat esse partes sicut materia & forma sunt partes rei naturalis : nam si ita loqueretur, non tantum tres partes, sed etiam quatuor debebat facere, numerans etiam absolutionem ; sed vocat Ecclesia potius partes pœnitentiæ, id est, eas qualitates, quas pœnitens adferre debet, ut consequatur fructum sacramenti hujus.

Ioannes Trithemius in bonam partem explicatus, ad eamque reductus

Franciscus Rotomagensis Archiepiscopus.

JOANNES Trithemius, quem convenienter retuli cap. III. huc quoque percommode referri posset ; non solum, quia decurrente hac fortuna eminuit ; sed etiam, quia illius testimoni-

um temperamento quodam mihi videtur indigere. Quod igitur temperamentum non habuit tunc, modò sic accipiet. Cùm Trithemius dicit, à temporibus Abaelardi *Sacularem*, id est, Aristotelicam Philosophiam cœpisse *sacram Theologiam* inutili sua curiositate fœdare, non omnes omnino Theologiæ Professores attingit. Certè non attingit illos, qui Theologicas quæstiones eo definiunt modo, quem Gregorius IX. digna Christiano Pontifice sapientia præstituit; sed attingit alios, qui Gregorio in tractandis sacrae doctrinae theorematibus non obtemperant. Ii sunt videlicet, quorum imaginem sic exprimit Franciscus Rotomagensis Archiepiscopus tomo III. *Mysterii Eucharistiæ* ab Augustino explicati: *Mais celapasse, inquit ille, les escoliers lurez qui ne sont pus envoyez pour estudier le fond des livres; mais pour apprendre à debatre & contester à tors & à travers, & pour s'exercer aux disputes. & post alia: On a creu s'assurer, se fortifier & fuir les erreurs de quitter l'Escriture & les Peres pour estudier cette Theologie Methodique, ou plustost Nominale, qui a cours en nostre temps. Et l'on s'est bien lourdement trompé. Pour fuir ainsi ce doute ils tombent dans la presomption, qui s'accompagne toujours d'une excessive hardiesse, ils affoiblissent la Religion, l'appuians sur de foibles raisons, & au lieu d'erreurs pardonnables à l'ignorance, qui arrivent à des gens, qui ne pretendent pas de sçavoir tout, comme plusieurs de l'antiquité en ont eu, sans que cela ait porté prejudice à l'Eglise, nous voyons un gouffre de temeritez modernes & d'erreurs gnostiques plus dangereuses que les huguenotiques, qui pululent entre les bandes scholastiques, dont j'attends à dire mon advis, quand ie me verray environné d'un Concile.* Quod Latinè dicitur: *Verùm istud superat captum juratorum Scholarium, qui non mittuntur in Academiam, ut artes ipsas totas, & scientias combibant, sed ut litigandi & Andabatarum more pugnandi rationem perdiscant, & ut sese in variis disputationum generibus exercent. Crediderunt nonnulli erigere se, novas vires colligere, atque errores vitare, si Scripturam & sanctos Patres desererent propter studium hujus methodicæ, seu potius Nominæ Theologiæ, quæ nunc dierum viget. Sed illi vehementer hallucinati sunt. Ut id quod dubium est, fugiant, in arrogantiam, quæ semper immodicam secum trahit fiduciam, incurrunt, Religionem affligunt enervantque, dum illam debilibus rationum momentis sustentare conantur. Fuerunt è veteribus, qui cùm non omnia scirent, ab ignorantia iis hominibus familiariori errores admisserint, tolerabiliterque peccaverint, & sine magno Ecclesiæ detrimento. Sed pro erroribus hujusmodi non indignis venia conspiciamus certum quoddam barathrum temerari-*

arum opinionum recentium, & gnosticorum dogmatum Hugonoticis periculosis-
rum, quæ inter Scholasticorum turmas emergunt. De quibus omnibus aliquan-
do dicam sententiam, cum in medio Ecclesiæ confessu iudicaturus sedebo. Hæc
ille, qui & Parisiensis è schola Theologus fuit. Tunc ergò sæcu-
li Philosophia polluit & maculat Theologiam, cum à magistris Scri-
ptura & legitima traditio, Theologiæ principia duo, vel alterutrum
deseritur, & in locum sufficitur Philosophus, aut alienæ rationes, quæ
ex illius dictatis tanquam ex penu proprio eruantur.

Id porrò totum breviter concludit Franciscus Roserius Tullen-
sis Archidiaconus, qui Trithemium inter & Rotomagensem Archiepis-
copum medius vixit: sic enim loquitur tom. IV. Stem. Lothar.
Ducum, in historia capitali LXXII. Legum studio in usum restituto,
multi religiosi sacræ Theologiæ rivulos è purissimis & limpidissimis fontibus
illorum Patrum manantes in disputationes, aliàsque barbaras interpretatio-
nes pluribus anfractibus & ambagibus retorserunt; adeò ut quod sincerè à
piis quæreretur, in quæstiones futes recideret, & antiqua Scripturæ claritas
sophisticis elenchis subverteretur. Hinc illa lacrima, immensaque hærese-
on deliria, quæ tot amplissimas regiones nostro hoc tempore calamitoso infe-
cerunt. Sophisticos elenchos intelligit, qui apud Aristotelem
habentur, multiplices illas & tortuosas argumentationes intelligit,
quæ ex illius Philosophia depromuntur.

*Parisius à Facultate Artium accusantur quidam Theologi, quòd professioni
sua non vacent, uti par est.*

Hic visum est pretium curæ gravissimam ea de re querelam re-
ferre, quæ sic extat in Academiæ commentariis nuper in lucem e-
ditis. Anno Domini M. D. XXX. mense Augusto. Pratermitto à dignissi-
mo domino primo Præsidi Senatus Parisiensis ex unaquaque Facultate deputa-
tos convocatos fuisse, ut prudentibus fidisque consiliis toti Academiæ prospiceret,
in qua tranquilissimè bonarum literarum studia nonnullis tamen tumultibus
agitata florescerent. Nam dum nescio quo fatali tumultu sursum deorsum-
que omnia illius iudicio miscerentur, sive Christianæ religionis statum inspice-
ret, sive rempublicarum conditionem reputaret, sive studiorum ac sacrarum
literarum intueretur, nonnullas observantes nugæ summa fide, mira dili-
gentia, parique dexteritate ex regis decreto reformare statuit. Quæ ex re
dum

dum à nonnullis Theologis peterentur reformationes Facultatis Artium, ita & certè scripto obtulerunt deputati Facultatis Artium, eidem domino primo Prasidi nostram hanc Academiam Parisiensem summo ludibrio hæctenus exteris nationibus fuisse, non aliam ob causam, quàm quòd emissis Evangelii & sanctis Ecclesie Doctoribus, Cypriano, Chrysostomo, Hieronimo, Augustino & similibus, sophisticen nescio quam ac dialecticen, in qua non placuit Deo salvare suum populum, nostrates tamen Theologi profiterentur, contra id quod habetur in cap. C. Nonne, & penè per totam XXXVII. dist. Itaque petierunt deputati Facultatis Artium, ut præteritis emendatis dum nimia socordia universum linguarum iudicium neglexissent, nullus in futurum ad hunc gradum Facultatis Theologiae admitteretur, nisi omnibus his doctrinae generibus affatim instructus esset, juxta Clem. 1. de mag. & in Cap. ut veterum.

C A P U T XIII.

Sexta Aristotelis fortuna recensetur & explicatur. In qua Ramus & Aristoteles in arenam descendunt, hic cum laude vincit, ille sine difficultate vincitur: dimicantibus cum Aristotele Francisco I. & nonnullis Professoribus.

UT nihil est in rebus humanis firmum ac stabile, ab omnibus, quæ antè recensui, stacuris paulatim recessum est, doctrinæque Aristotelis universa Parisienses scholas occupavit. Idque impunè. Nam sine ullo discrimine & anathematis metu lecti sunt libri omnes, sive qui Dialecticam, sive qui Physicam & Metaphysicam docerent. Quamobrem Francisco I. rege gravissimos in Academia patronos, adeo non oppugnatores habuerunt. Ex quo enim Petrus Ramus Dialecticas institutiones & Aristotelicas animadversiones edidit, tunc in eadem Academia de retinendis Aristotelis operibus & doctrina, quæ ab Ramo explodebatur, actum est. Quæ res in quodam Rectorum Parisiensis Academiae Librario sic narratur. *Eo Rectore (Guillelmo Montuello) nescitur, quo genio malo irrumpente in Academiam, ingens facta est omnium studiorum derepente perturbatio, edito recensens libello, cui titulus erat, Animadversiones Aristotelicæ, composito ad extinguen-*

guendam in totum doctrinam unius Aristotelis omnium Philosophorum facile principis. Cui sanè morbo non leviter grassanti, & mentibus ad quidvis, quod sit novum & inauditum facile sequacium paulatim sese insinuanti, mature & consultò est occursum partim decreto judicum, qui prudenter librum illum statim suppresserunt, & ne divenderentur publicè inhibuerunt, partim editis brevi aliquot libris pro Aristotele, quibus auctoris libelli istius calumniarum & mendaciorum pleni interclusa sunt furia. Postremò tandem Christianissimi Regis consilio cum superiora omnia viderentur esse satis ad tantum ignem, qui quotidie magis ac magis flagrabat, restinguendum, delecti sunt tres in omni linguarum & literarum genere exercitatissimi, qui cum libellum illum & alterum ejusdem auctoris propius penitusque inspexissent, & libellorum auctorem juxta regis decretum, presentem pro se dicentem presentes ipsi audivissent, ex aquo & bono judicantes, magnam inclusam esse libellis imprudentiam & ignorantiam regi declararunt, qui pro sua in suam Academiam solita benevolentia confectis regio sigillo notatis literis, omnibus regni partibus fugiendam hanc pestem significandum censuit. Harum autem literarum, quæ actis publicis incluse sunt, data est, donné à Paris le 10. Mars 1543. & de nostre regne le 30. Quarum tenor sequitur ad verbum: François par la grace de Dieu Roy de France. A tous ceux qui ces presentes lettres verront salut. Comme entre les autres grandes sollicitudes, quæ nous avons tousiours eues de bien ordonner & establir la chose publique de nostre Royaume, nous avons mis toute la peine, que possible nous a esté de l'accroistre & enrichir de toutes bonnes lettres & sciences à l'honneur & gloire de nostre Seigneur, & au salut des fideles; puis n'agueres advertis du trouble advenu à nostre chere & aimée l'Université de Paris, à cause de deux Livres faits par Maistre Pierre Ramus intitulez l'un Dialecticæ Institutiones, & l'autre Aristotelicæ animadversiones, & des procez & differents, qui estoient pendans en nostre Cour de Parlement audit lieu, entre elle & ledit Ramus pour raison desdits livres, nous les eussions evoquez à nous pour sommairement & promptement y pourvoir, & à cette fin en eussions ordonné, que Maistre Antoine de Govea, qui s'estoit présenté à impugner & debatre lesdits livres, & ledit Ramus, qui les soustenoit & defendoit, éliront & nommeroient de chacun costé deux bons & notables personnages connoissans les langues Grecques & Latines, & experimenter en Philosophie, & que nous élirions & nommerions un cinquième pour visiter lesdits livres, ouir lesdits de Govea & Ramus en leur advis: suivant laquelle nostre ordonnance eust ledit Govea élu & nommé Maistres Pierre Danés & François à Vicamer-

cato, & ledit Ramus Maistre Iean Quentin Docteur en Decret, & Iean de Beaumont Docteur en Medicine; & nous pour le cinquiesme, eussions nommé & ordonné nostre cher & bien aimé Maistre Iean de Salignac Docteur en Theologie: pardevant lesdits de Govea & Ramus eussent esté ouïs en leur disputes & debats, jusques à ce que pour interrompre l'affaire, iceluy Ramus se seroit porté pour appellant desdits Censeurs, dont nous advertis eussions decerné nos lettres à nostre Prevost de Paris, ou à son Lieutenant, pour contraindre lesdits de Govea & Ramus à parfaire leur disputes, afin que par lesdits Censeurs nous fust donné ledit advis, non obstant ledit appel & autres appellations quelconques, suivant lesquelles nos lettres, eussent lesdits de Govea & Ramus derechef comparu pardevant lesdits Censeurs, & voyant que par iceluy Ramus lesdits livres ne se pourroient soustenir, eust déclaré n'en vouloir plus disputer, & qu'il les soumettoit à la censure des dessusdits; & comme on y vouloit proceder, lesdits de Quentin & Beaumont, l'un après l'autre, eussent déclaré ne s'en vouloir plus entremettre. Au moyen de quoy eust iceluy Ramus esté sommé & requis d'en èlire & nommer deux autres. Ce qu'il n'eust voulu faire, & si fust du tout soumis aux trois autres dessus nommez, lesquels après avoir le tout veu & considéré eussent esté d'advis, que ledit Ramus avoit esté temeraire, arrogant & impudent d'avoir reprouvé & condamné le train & art de Logique receu de toutes les nations, que luy mesme ignoroit, & que parce qu'en son livre des Animadversions il reprenoit Aristote, estoit evidemment connue & manifeste son ignorance. Voire qu'il avoit mauvaise volonté, de tant qu'il blasmoit plusieurs choses, à quoy il ne pensoit oncques. Et en somme ne contenoit sondit livre des Animadversions que tous mensonges, & une maniere de médis, tellement qu'il sembloit estre le grand bien & profit des lettres & sciences, que ledit livre fust du tout supprimé: Semblablement l'autre dessusdit intitulé Dialecticæ Institutiones, comme contenant aussi plusieurs choses fausses & estranges: Sçavoir faisons, que veu par nous ledit advis, & eu sur ce autres advis & deliberations, avec plusieurs sçavans & notables personnages estans les nous, avons condamné, supprimé & aboly, condamnons, supprimons, & abolissons lesdits deux livres, l'un Institutiones Dialecticæ, l'autre Aristotelicæ Animadversiones, & avons fait & faisons inhibitions & defenses à tous Imprimeurs & Libraires de nostre Royaume, pays, terres & seigneuries, & à tous autres nos sujets, de quelque estat ou condition qu'ils soient, qu'ils n'ayent plus à imprimer ou faire imprimer lesdits Livres, ne publier, vendre, ne debiter en nosdits Royaume,

ame, pays, terres & seigneuries, sous peine de confiscation desdits Livres, & de punition corporelle, soit qu'ils soient imprimez en iceux nos Royaume, pays, terres & seigneuries, ou autres lieux non estants de nostre obeissance: & semblablement audit Ramus de ne plus lire lesdits livres, ne les faire écrire ou copier, publier, ne semer en aucune maniere, ne lire en Dialectique ne Philosophie en quelque maniere que ce soit, sans nostre expresse permission: Aussi de ne plus user de telles médifances & invectives contre Aristote, ne autres anciens Auteurs receus & approuvez, ne contre nostredite fille l'Université & supposts d'icelle, sous les peines que dessus. Si donnons en mandement & commandons par ces presentes à nostre Prevost de Paris, ou à son Lieutenant, Conservateur des Privileges, par nous & nos predecesseurs Roys donnez & octroyez à nostredite fille l'Université, que nostre present jugement & ordonnance il mette, ou fasse mettre à deuë & entiere execution selon sa forme & teneur, & à ce faire souffrir & obeyr, contraigne & fasse contraindre tous ceux qu'il appartiendra, & pour ce feront contraindre par toutes voyes & manieres deuës & raisonnables, nonobstant oppositions & appellations quelconques, pour lesquelles ne voulons estre differé. Et pource qu'il est besoin de faire notifier nosdites defenses en plusieurs lieux de nostre Royaume, terres & seigneuries, afin de les faire observer; nous voulons qu'au vidimus d'icelles fait sous seel Royal, ou signé par collation par l'un de nos amez & feaux Notaires & Secretaires, soit adjoustée foy comme au present original. Mandons en outre à tous nos autres Justiciers, Officiers, & à chacun d'eux si comme il luy appartiendra, que nosdits defenses & injunctons ils fassent observer, en procedant par eux contre les infracteurs d'icelles, si aucuns en y a, par les peines cy-dessus indites & autres, qu'il verront estre à faire par raison. En tesmoin de ce nous avons fait mettre nostre seel à cesdites presentes. Donné à Paris le 10. jour de May l'an de grace 1543. & de nostre regne le trentiesme.

In hac autem regia constitutione lingillatim deducuntur, quæ rector Montuellus in compendium misit. Quare cum hujus constitutionis summa sit Montuelli narratio, minus videtur necesse, ut illa Latino sermone donetur. Adnotasse tamen momenta septem operæ pretium est. Imprimis ea contentio, quæ decreto regio fedatur, primum ex orta est inter Petrum Ramum & Antonium Goveanum, qui plures statim Academiae Magistros in suas partes traxit, & in adversariam concitavit. Deinde post multas altercationes privatis studiis potius, quam publico bono incensas, res selectorum ab utroque viro-

rum arbitrio commissa est. Ramus optavit Ioannem Quintinum in Decretis doctorem, & Ioannem Bellomontanum in Medicina magistrum. Goveanus verò Petrum Danesium & Franciscum Vicomercatensem, quibus Rex proprio motu adjecit Ioannem Salignacum in Theologia Professore. Tum ubi Ramus & Goveanus coram his arbitris disputationes instituisent, Ramus ut negotii cursum abrumperet, ab iudicio arbitratorum provocavit. Quartò Rex edixit, ut remota omni provocatione disputationes coram arbitris & censoribus absolventur. Quintò Ramus ubi casurum se pervideret, dicto audiens Regi libros suos arbitrio Censorum subiecit. Sextò, cum ad librorum censuram ventum est, Ioannes Quintinus & Ioannes Bellomontanus subtraxerunt sese, & omnem à se iudicandi potestatem abalienarunt. Postremò Ramus sic à suis desertus trium aliorum iudicio eosdem libros adhuc submitit. Hi autem cum Rami libros damnassent, regiae constitutioni causam dederunt. Ceterum in hujus fortunæ mutatione licet de Aristotelis Dialectica moveretur quæstio, Rex tamen reliquos cum illa libros asserere videtur. Sed si res ex seipsa pensetur, satis erat rationi consentaneum, ut cum Ramus alios Aristotelis libros non reprehendisset, eos quoque Franciscus non attingeret.

C A P U T X I V.

Res quinque ad superiorem fortunam animadvertuntur.

Non immeritò Gallica Latinis admiscetur.

ET primùm quidem cur isto & sequente cap. xvi. Gallica Latinis admisceam, Majestas regia facit, & Parisiensis Senatus amplitudo. Quæ enim Rex edixit, & Senatus decrevit, cum certis ac solemnibus exprimantur verbis, tenore proprii referre debuerunt. Apud Hispanos Italosque scriptores pridem in more positum esse video, ut conceptas vernaculè suorum Principum sanctiones Latinis non dubitent operibus illigare. Accedit eò, quòd eorum, quæ Gallico sermone referentur, summam Romano complector. Præterea non mi-

minùs rationi congruit Gallica, quàm Græca Latinis interferere; quod magni atque eruditi viri facere consueverunt.

Neque de causa Rami, neque de facto Francisci Regis quicquam pronuntiandum.

Hoc deinde loco Petrum Ramum defendere non est animus nec ingenium. De Francisci quoque primi facto nec pronuntio, nec is sum, qui pronuntiare velim aut possim. Scribo tantum historiam, cui quæ gesta sunt, simpliciter narrare incumbit. Verùm adjiciam nonnulla, quæ non modò sextæ huic fortunæ allatura sunt lucem, sed & cum illa connecti videntur.

Franciscus Rex in facto suo dedit exemplum, non accepit.

TUM quando Franciscus Aristotelis Dialecticam & doctrinam in scholis Christianorum asseruit, suum est exemplum. Id enim neque Constantinus, neque Theodosius, neque Justinianus, neque Carolus Magnus, neque ullus alius Princeps antea fecerat. Quinimò Philippus Augustus igni tradita Aristotelis opera vidit, & tacuit. Præterea id Franciscus præstitit illorum consilio, quorum majores Aristotelis libros igni tradendos esse judicabant: fuit hæc prima Aristotelis in Academia Parisiensi fortuna, quæ flammis ultricibus eluxit.

Andomarus Talæus Rami controversiam illustrat:

QUARTO egregius est hanc in rem Andomarus Talæus, qui quæ fuerint partium studia, sic exponit in sua ad Carolum Lotharingium Card. Academia: *Quibus omnibus, Epicureis, Peripateticis, Stoicis cum sententia semel aliqua in animo insedit, nefas putant eam deponere, ut Cicero scribit. Sed nescio quomodo plerique errare malunt, eamque sententiam, quam semel adamarunt, pugnacissimè defendere, quàm quid constantissimè dicatur exquirere. Cur tam pauci igitur Academici? quia pauci firmo constantique judicio sunt, & plerique discendi cognoscendique laborem fugiunt. Itaque Cicero Academicorum paucitatem, solitudinemque Academiae sic*

In Lucul-
lo.

Lib. I. de nat. Deor. excusat. Quam, ait, nunc propemodum orbam esse in ipsa Græcia intelligo, quod non Academia vitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse: Nam si singulas disciplinas percipere magnum est, quanto majus omnes? quod facere eis est necesse, quibus propositum est, veri reperiendi causa, & contra omnes Philosophos & pro omnibus dicere. Plerumque autem cæcus ille amor ex aliqua auctoritatis opinione efficitur, quod vehementer est in hac libera philosophandi veritate reprehendendum.

Lib. I. de nat. Deor. Cicero. Qui autem requirunt, quid quaque de re ipsi sentiamus, curiosius id faciunt, quam necesse est. Non enim tam auctores in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt. Quin etiam obest eis plerumque, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur: desunt enim suum iudicium adhibere. Id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident. Nec verò probare soleo id, quod de Pythagoreis accepimus, quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, cum ex his quaereretur, quare ita esset, respondere solitos, αὐτός ἐφα, ipse dixit: Ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas. Eiusdem erroris vanitas in quibusdam Aristoteleis est, qui tantum tribuunt suo magistro, ut eum Deum quendam existiment, Aristoteli repugnare, idem propemodum esse credant, quod naturæ, veritati, Deo repugnare. Itaque cum frater meus Petrus Ramus in Aristoteleorum sententiam usitatissimo illo, & omnibus temporibus approbatissimo more dixisset, duo homines tam vehementer irati commotique sunt, ut qui Aristotelem reprehenderet, existimarent eum omnes artes conturbare, jura humana & divina pervertere, omnem humani iudicii libertatem eripere, denique è mundo quasi mundi solem tollere; atque Aristotelico spiritu afflati exclamarent, tantum scelus igne expiandum esse, & ne testimonio tantæ Stultitiæ careremus, (vix enim credibile id esset, nisi scripto testatum proditumque teneretur) libellis contra Aristotelicas animadversiones descriptis, & per orbem terrarum missis id prædicandum, & divulgandum censuerunt: quos homines, quoniam à seipsis satis vexati sunt, & à fratre meo perpetuò contempti, tandemque Aristoteleo iudicio rescisso satis refutati, non puto mihi severius notandos esse. Sed quid Aristoteles duos hæc commemoro, cum tota istorum hominum natio eadem sit? Enimverò quid singularem, & post homines natos inauditam historiam referam? summa semper libertas fuit Grammaticis, Rhetoribus, Mathematicis, Philosophis contra Grammaticos, Rhetores, Mathematicos, Philosophos dicendi & scribendi: eaque libertas, quia ad omnium artium perfectionem pertinere magno opere videbatur, maximè probata est, & omnium Philosophorum, Aristotelis præsertim præceptis unice commendata. At quoniam Petrus Ramus Aristotelicis animadversionibus Aristoteles dormientes vellicare ausus erat, Deus bone! meminisse hor-

horret, qua contigerint: res atrociores prætermittam: ex Aristoteleis neminem nominabo, summam rerum simpl. citer attingam. Vix Aristotelica animadversiones lectæ erant, cum Petrus Ramus repente non ad humanam aliquam, & literis usitatam disputationem ab Academia vocatur, sed ad Prætorij tribunalis capitalem contentionem per certos homines falso Academia nomine rapitur, novique & ante hunc diem mauditi criminis accusatur, quod Aristoteli repugnando Theologiam & artes enervaret. Hac enim oratione Aristotelea actio instituta est. Hinc Aristoteleorum clamoribus agitated ad summum Parisiensis Curia consilium traducitur: deinde cum legitimo iudicij more res agi, atque apertius iniquissima fraudis invidia percipi videretur, novis artibus à Senatu Parisiensi ad regiam cognitionem disjicitur: qua constitutis quinque iudicibus, binis ex utraque parte, quinto regia denominatione designato, causam de singulis Animadversionum capitibus dicere jubetur. Hic tamen de quinque iudicibus tres insensissimos Ramus habebat, tamen ut mandato regio obtemperaret, ad diem constitutam adfuit. Scriba unus aderat, qui rationes Rami, & iudicum sententias exciperet: defensionis sua testem Ramus impetrare neminem potuit. Biduo magna contentione de Dialecticæ artis definitione & partitione, qua in Logici Organi libris nulla essent, concertatum est. Tres Aristotelei iudices primo die contra omnes bene descriptæ artis leges iudicaverunt, ad Dialecticæ artis perfectionem definitione nihil opus esse. Ioannes Quintinus Hedius, Ioannes Bomontius Parisiensis, qui duo iudices erant à Ramo delecti, pro singulari sua eruditione & doctrina consuerunt, omnem disputationem, qua via & ratione procederet, definitione proficisci debere, idque per scriptum obsignarunt. Postmodum tres iudices Aristotelei vehementer conturbati de partitione assentiuntur, Dialecticæ legitimas esse partes, inventionem & iudicium, atque hac de re sententias suas perscribunt. Verum cum Ramus urgeret Aristoteleos, igitur à se merito reprehendi, quod propria partitione præmissa totam Dialecticam mille tenebris obruerent, tribus iudicibus ampliari causam placuit, & in alium diem rejici, quia ista via Aristotelei superiores esse non possent. Hic audiendi Rami finis fuit: deinceps enim Aristotelei iudices aestuare, rixari inter se & iurare quod se per imprudentiam demersissent, unde incolumes emergere non possent. Itaque ne non damnaretur Ramus, novum consilium initur, ut ab initio tota disputatio retexatur, & adhuc iudicata induceretur, proque nihilo haberetur. Id vero Ramus se facturum pernegavit, cæpitque liberius conqueri, his se iudicibus esse traditum, quibus satis non esset ejus sententiam tam cæca cupiditate oppugnare, nisi ipsi quoque suam dictam præsertim & obsignatam nullo inconstantia pudore rescinderent. Quare tum Ramus à tribus illis accusatoris iudicibus, cum eos neque sua conquestio-

ne, neque reliquorum iudicum admonitione de tanta violentia deduceret, appellavit. Postremum igitur illud fuit, tanta auctoritas contra Ramum impetratur, ut tribus Aristoteleis iudicibus infinita potestate, sine auxilio, sine provocatione iudicium de Aristotelicis animadversionibus permitteretur: tam variis scilicet machinis, tam multis copiis, tot potestatibus ad confutandum Dialecticæ disputationis argumentum opus fuit. vix, ita me Deus amet.

Vix Priamustanti, totaque Troja fuit.

Sed cætera attendamus: huic tanta potestati, majori etiam cupiditati Quintinius & Bomontius concessere, per scripta tamen antè de universa disputatione sententia, testati sibi placere, ut in Philosophia, sicut antea semper fuisset, liberum esset in omnem partem disputare: ex eo autem confessu se discedere, quia se non socios consiliis, sed injuriæ, quæ Ramo fieret, adhibitos testes intelligerent. Idemque Ramus ipse non sine stomacho, cum à tribus illis contumeliosè illuderetur, fecit, & se tempora sperare dixit, quibus tales iudices de suo facto nequaquam parem essent voluptatem percepturi. Ita vi victa, vel certè hominum quorumcunque opinione ad tempus oppressa causa est. Condemnantur igitur triumvirali sententia, non modò indicta, sed incognita planè causa, animadversiones Aristotelicæ. Hoc expectari à talibus iudicibus potuit. Eiusdem incendiij ruina Institutiones Dialecticæ affliguntur; non alia quippe ratione, quàm quòd eiusdem artificis opus erant: Neq; enim verbo Aristoteles laeserant, immo ne ab his quidem accusata unquam fuerant, sed ante illum diem ab Aristoteleis ipsis laudata. Quis iudex præter hos, damnavit unquam, quod accusatum non esset, de quo reus nihil interrogatus esset? Auctori Animadversionum & Institutionum toto Philosophiæ regno velut aqua & igni, gravi etiam poena addita, interdicitur, ne unquam vel scribendo, vel docendo in ullam Philosophiæ partem ingrederetur. Hoc verò non est Dialecticum refellere, sed Dialecticum de suggestu deturbare: Atque hæc omnia Regis, licet omnium Regum & humanissimi & literarum amantissimi, tamen per falsas & improbiSSimè confictas calumnias inducti, auctoritate confirmantur. Constricta itaq; lingua vinculis manibus, cum sic afflictus Ramus teneretur, ut Aristoteleia vel impunè discerpere liceret, Ramo contrà ne mutire quidem liceret, triumphus de tam nobili victoria mirificus agitur, tristis illa & horrenda Triumvirum sententia impressis & Latina & Gallica oratione libellis, non modò per hujus urbis compita, sed per orbis terrarum loca omnia, quò expectari potuit, promulgatur. Ludi magno apparatu celebrantur, ubi spectantibus & plaudentibus Aristoteleis, omni ludibriij & convitij genere Ramus afficitur. Quid reliqua his indigniora commemorem? quæ tametsi verissima sunt, & memoria recenti tenentur, tamen ita sunt ab honestis studiis aliena, ut verear, ne

is etiam, qui interfuerint & viderint, res tam incredibilis non facta, sed facta esse videatur. Hæc Aristotelici iudicij brevis & summaria historia est. Plurima enim prætereo, quæ sine certorum hominum infamia commemorari non possunt. Atque hæc pauca idcirco commemoro, non ut malevolo cuiquam stomachum moveam (quid enim minus est, quam ut tam inhumaniter vexatis saltem præteriti doloris meminerit) sed ut omnes intelligant, Cardinalis illustrissime, non solum quantum tibi tali abrogato iudicio Ramus Talæusque debeant, sed etiam quam formidabilis & iracunda Aristoteleorum Logica sit, quæ talibus argumentis adversariam persequatur. Ac ne me Aristotelei pari iracundiâ appetant, ad Academiam refugio minimè superbam atque violentam, sed contra facilem & benignam, quæ tantum abest, ut sibi contradicentibus tam ferociter irascatur, ut etiam amatores suos existimet, à quibus sibi veritatis inquirendæ gratia diligenter & accuratè contradicatur. Hæc Talæus, quæ sine detrimento historiæ, quam scribo, præmitti non potuerunt.

Guillelmi Postelli de Aristotelis Philosophia iudicium.

Guillelmus Postellus eodem ferè tempore Latinum fecit librum qui Iustini Martyris everfio Aristotelicorum dogmatum inscribitur. Eum Carolo Card. Lotharingio nuncupavit, & in nuncupationis epistola sic de Aristotele censuit. Nullus autem sit Reipublicæ periculosior aut everfione dignior hostis familiari & domestico. Suscepi in falsa Aristotelis dogmata bellum Iustini Martyris & Philosophi præstantissimi fretus armis & fidei cum martyre consimilis lorica tectus, eo quod ut olim omnia ferè hereseon semina ex uno Aristotele emerfere, ita hodiè Atheorum cohors inde manat. etiam ea quæ ab isto λογία possent in providentia particularis & immortalitatis probationem ex ipso λογία dico, hoc est obliquario & vasfro lubricoque Aristotele alioquin hominum acutissimo non incommodè trahi, pervertendo. deinde sub finem libri. Alter (animorum in hac vita Tyrannus) in ea quæ videtur, & non est, ratione purè humana, & à divina veraque quantum potest abhorrente, constitutus: cujus caput maximè insigne est Aristoteles, à nostro Iustino ideo impetitur, quod auctoritate semel illi à Sathana comparatâ innumera falsa, repugnantia, contraria, & vero similia tantum pro verissimis & demonstratis mundo cæcipienti obtulit: unde in illius verba velut in sacrosancta & aeterna veritati subnixæ oracula juratum in hunc

usque diem est. Nostrum itaque opus fuerit hic una cum Iustino in ea, qua Aristoteles pro veris tradidit, ita animadvertere, ut planè cognoscatur, summum toti orbi terrarum dispendium, nisi obstitisset providentia, fuisse ex ejus doctrina nasciturum. unde enim factum est, ut dubitetur de divina & particulari cum in omnia & singula cetera, tum maxime in hominem providentia, similiter de animorum immortalitate, nisi ex falsitate aut ambiguitate propositionum Aristotelis. Ad hæc eo impietatis profecti sunt multi, ut quod publicè isti non audirent, ob legum securitatem, sub ipsis nomine ausi sint profiteri ut proximo istis annis perditissimus quidem nebulo Pomponatius cum summo Italia probro ausus sit, scriptis etiam summis Pontificibus oblatis, & tantum non suavis, conari, ut ex Aristotele demonstraret mortales esse animos: & ita illa bellua in valuit in ea impietate, ut etiam in gloria ponant quidam Parisiis ejus doctrinæ interpretes, se Perreti aut Pomponatij esse discipulos, & post alia: farentur autem plurimi, qui alioqui volunt videri magis aequi rerum humanarum æstimatores, & Aristoteli etiam summis præfationibus faventes, in eo auctore, ejusque etiam præstantissimis rationibus inesse multum veneni, hoc est falsi, cum dicunt nullo modo debere sacra rationibus humanis, & potissimum Aristotelicis corroborari: In qua asseveratione etiam latet summa impietas. Vt enim toto errant cælo, qui Aristotelem mordicus tutari volunt, & illum non fuisse passum humana assunt, & sic ipsum hominem Deo & sacris præferunt: ita è contrario qui rationi rectæ & æternæ repugnare humanam & omnibus gentibus, populis, hominibus, temporibusque cognitam veritatem affirmant, illi aut duo ponunt principia, unum bonum & auctoritatis sacra fundatorem, & alterum malum rationis humanæ principem, aut contra; aut quod crediderim & verissimum est, nullum sacrorum præscriptum esse velent. Quia quod rationi repugnat, Deo repugnet necesse est. Deus autem ab æterno instituit, hac in re sua voluntate omnino indefraudabilis, ut recta ratio pro lege æterna haberetur. Cum itaque sit unus tantum Deus & auctoritatis legitime & rationis rectæ auctor, est omnino necessarium ut omne verum vera consonet, hoc est verum auctoritatis legitime, & verum rationis rectæ. Deus itaque voluit ut superesset eo usque Aristoteles, donec duce ipsa Schola Parisiensi aut doctrina scholastica, tota (quatenus Ecclesiæ fuit in hanc diem cognita necessaria & intelligibilis) sacrorum auctoritas innumeris rationibus in utramque partem discussa spoliaret Aristotelem illis virtutibus, quæ in ipso liquida erant, eo quod veritas à quocumque dicatur à spiritu sancto est & semper divina. ut tandem post resolutiones ipsas sacrorum ipse Aristoteles

omnino neglectus jaceret, & præstantiori divinaque tractationi daret locum. Hæc ille, qui quamvis suos nævos, & non ferenda quædam deliria habuerit, in hoc tamen à veteribus Ecclesiæ magistris, quos cap. II. affluentur retulimus, non discedit. Fuerunt quidem qui Postelli errores per certa capita digesserunt, sed quæ tangunt Aristotelem, in illorum numero minimè collocarunt. Iacobus Gaulterus hoc egregiè præstitit in tabulis Chronographicis, quibus Ecclesiæ Catholicæ statum descripsit: sed non satis capio, cur vir Theologus hæreticis accensuerit Guillelmum Postellum, quem cum ex Bellarmino & appendice ad Genebrardi Chronographiam, tum ex aliis certò noverat, Catholicæ communionis participem obiisse. Non omnis enim qui errores docet, dicendus est hæreticus, sed qui pertinaciter, vincendi studio, & seorsum ab Ecclesia docet. Si quis autem Postellum ita commendare vellet, ut commendari non posset magis, sufficeret ea notare quibus institutum de illo sermone Gaulterus concludit: *Vbi (Lutetiæ) & ipse anno 1578. docentem audivi tanto auditorum, quasi ad redivivum & inusitata etatis doctorem accurrentium numero, tantaque ingenij, doctrinæ multiplicis ac memoriæ demonstratione, ut vix credi possit, dixeritque aliquando vir acri judicis Maldonatus illum allocutus, mirari se talem in mundo virum existere, cujus utique quot verba tot essent apophthegmata.*

Petrus Gassendus causam Rami non admodum injustam fuisse re ipsa ostendit.

POSTREMÒ non minùs necessarium est animadvertere, editum esse Grætionopoli anno M. DC. XXIV. à Petro Gassendo opus, quo Rami causa plurimùm juvaretur. Hoc autem opus inscribitur *Exercitationum Paradoxicarum adversus Aristoteles libri VII.* In quibus præcipuè totius Peripateticæ doctrinæ excutiuntur. Liber primus octo exercitationes continet, & tale est uniuscujusque argumentum.

I. *Quòd homines Aristotelei ex germana Philosophia Sophistica effecerint.*

II. *Quòd immeritò Aristotelei libertatem sibi philosophandi ademerint.*

III. *Quòd rationes nullæ sint, quibus secta Aristotelis videri potest præferenda.*

- IV. Quòd maxima sit incertitudo librorum doctrinaque Aristotelea.
 V. Quòd apud Aristotelem innumera deficiant.
 VI. Quòd apud Aristotelem innumera fallant.
 VII. Quòd apud Aristotelem innumera contradicant.
 VIII. Quòd apud Aristotelem innumera contradicant.

Alios ego Gassendi sex libros noui vidi, atque utrum eos ille juris publici fecerit, me latet. Qua tamen de re in illis tractaturus esset, sua in librum primum præfatione monet. Liber, inquit, secundus opponitur Dialecticæ Aristoteleæ, ubi primum nulla ipsius Dialecticæ necessitas, utilitasve esse declaratur. Deinde verò, ubi declamatum est in Universalia, Categorias, propositiones Aristoteleas, disputatio instituitur adversus scientiam & demonstrationem ab Aristotele præstitutam, atque hinc præcipue est, ubi cognitio scientiæque humana arguitur infirmitatis ac incertitudinis.

Liber tertius destinatur in Acroasim Physicam. Hinc impugnatur numerus principiorum Aristoteleorum, interque cetera formas esse accidentales adstruitur. Hinc aliunde esse motus naturalis asseritur, quam vulgò existimetur. Hinc veterum spatium postliminio revocatum Aristoteleo loco substituitur. Hinc vacuum inducitur, reduciturque in rerum naturam. Hinc tempus convincitur aliud, quam definiat Aristoteles, aliæque quidem quamplurima è re nata interferuntur.

Liber quartus adortur libros de corpore simplici, ubi primum & stellis fixis & Soli comparatur quies. Terræ verò quasi uni ex planetis conciliatur motus. Exinde multiplicitas vel certè immensitas mundi probabilis arguitur, præter innumera, quæ statuuntur ἠδὲ δόξιας de causa motus, de luce & phaenomenis, de generabilitate & corruptibilitate, quæ circa globos cælestes. Ad hæc verò substituitur impugnatio elementorum Aristoteleorum in numero, in qualitatibus tam motivis, quam alterativis, in transmutabilitate inter se, in compositione mixtorum.

Liber quintus aggreditur vulgares tractatus, quos de mixtis instituunt. Quo loco Cometas trajicio per ætherea spatia, illòsque statuo non minus perpetuos, quam sidera perpetuò conspicua. Præterea chylo ex stomacho transeunti in jecur, novum aliudque iter aperio, quam per venas mezaraicas. Ad hæc antem plura distinguo genera viventium, quam tria: semen animatum facio, brutis rationem restituo, intellectum phantasiàmque nullo discerno discrimine. Postremò id maximè suadeo, ut respiciat homo, quod non est.

Liber sextus instituitur adversus Metaphysicam. In hoc ubi rejecta est pars maxima elogiorum, quæ Metaphysicæ deferuntur, impetuntur potissimum vulgata illius principia, & celebres illæ proprietates entis, unum, verum, bonum. Deinde verò fidei orthodoxæ asseritur quæcunque cognitio habetur de intelligentiis, de quæ Deo ter maximo, dum nimirum ostenditur, quàm vana sint argumenta, quibus philosophari solent de substantiis illis seperatis ex naturali lumine.

Liber denique septimus est in moralem Philosophiam. Is nimirum opus habet enumeratione proluxa. Vno enim verbo docet illam Epicuri de voluptate sententiam, ostendendo videlicet, qua ratione summum bonum in voluptate constitutum sit, & quemadmodum laus virtutum, actionumque humanarum ex hoc principio dependeat. Atque hæc sunt, quæ si proposuisset Ramus, quid eo hominum factum esset? Si quid autem fieri potuit acerbius, Talæi multò meliùs, quàm mea oratione exprimeretur.

I C A P U T X V.

Septima Aristotelis fortuna recensetur & explicatur. In qua legendus Aristoteles præscribatur.

ANNUS Christi volvebatur millesimus sexcentissimus primus, cum nova Academiæ reformatio facta est. Facultatibus illius singulis propriæ assignatæ sunt regulæ, quarum quæ ad Facultatem artium pertinent, legendos Aristotelis libros ita præscribunt.

N U M. XXXVII.

Cursus Philosophici spatium biennio terminetur, quo exacto, Scholastici laureâ magisterij insigniantur.

N U M. XXXVIII.

Quòd ut commodè fiat, philosophiæ professores intra biennium Aristotelis libros ordine infra scripto accuratè explicent.

N U M. XXXIX.

Primo anno matutinis horis, libros Logicos interpretentur, à Categorijs ducto initio, quibus subjungant librum de interpretatione, & priorum Analyticorum quinque priora capita: mox adjungant octo libros Topicorum, ut formæ ratiocinandi materia proximè cohæreat: postremò duos libros de demonstratione omnium accuratissimè interpretentur: Porphyrij institutiones

initio percurrant & delibent: horis pomeridianis libros Aristotelis ethicos exponant.

N U M. X L.

Secundo Anno Aristotelis Physica manè interpretentur: post meridiem Metaphysica, si fieri potest, integram saltem horam primum, quartum & undecimum libros magnâ curâ & diligentia explicent: horâ sextâ matutinâ Spheram, cum aliquot Euclidis libris prælegant.

N U M. X L I.

Aristotelis disputationes adversus veteres Physicos, in quibus ingenij summa subtilitas elucet, accuratè examinentur, rejectis inanibus quasiunculis, quas olim barbari invexerant, & ab humaniore politioreque seculo explosas asperi durique homines non ita pridem refricare & redintegrare sunt conati.

N U M. X L I I.

Aristotelis contextus Philosophorum, non Grammaticorum, modò exponatur, ut magis pateat rei scientia, quàm vocum energia.

Quæ ad hanc fortunam observari possunt ultimò reservabimus, quoniam hæc illi valdè proxima est, & in iisdem confiniis versantur.

C A P U T X V I.

Octava Aristotelis fortuna recensetur & explicatur. In qua Philosophus quanto quondam in dedecore, tanto in honore habetur, adversarios persequentibus Academia & Senatu Parisiensi.

HÆc ultima Aristotelis fortuna multo adhuc fuit illustrior, quàm sexta & septima. Nam cum anno Christi M. DC. XXIV. universa Aristotelis doctrina publicis thesibus oppugnari cœpit Lutetiæ, tunc Senatus & Facultas Theologiæ Parisiensis oppugnantium impetum retardarunt, & sua auctoritate compescuerunt. Hujus autem rei historia duobus maximè continetur. Alterum est lata per Facultatem Theologiæ in propositiones Aristotelicis principiis oppositas censura: alterum verò Parisiense Senatusconsultum.

In Aristotelis oppugnatores Parisiensium Theologorum censura.

Sic autem se habet censura. Anno Domini MDCXXIV. die prima mensis Septembris sacra Theologiae Facultas Parisiensis post missam de Spiritu Sancto more solito celebratam, ordinaria habuit comitia in aula Collegij Sorbonae, in quibus magister Petrus de Besse Syndicus exposuit quasdam theses evulgatas per Ioannem Bitaudum, Antonium de Villon, & Stephanum de Claves contra doctrinam Aristotelis communiter receptam, quas supremus Senatus iudicio Facultatis examinandas commiserat, antequam sententiam in auctores ferret, quibus jam antea agitatae & examinatae, nec non peculiari censura notatae per eisdem Facultatis deputatos, iteratò communibus assidentium suffragiis cum sua praefatione comprobari petiit, antequam supremo Senatui offerretur.

Facultas autem iterum post meridiem privata comitia indixit, ut conficeretur censura generalis thesion Ioannis Bitaudi, Antonij de Villon & Stephani de Claves, quae singularum propositionum qualificationibus praeponebatur, antequam supremo Senatui offerrentur.

Sequitur censura quarundam propositionum publicatarum adversus principia Aristotelica, Paracelsica & Cabalistica per Ioannem Bitaudum Sanctonensem, Antonium de Villon & Stephanum de Claves evulgatum: de quibus dictus Bitaudus sub moderamine de Villon erat responsurus, tertius verò arte chymica illarum veritates experientiis ostensurus, nisi supremus Senatus ad postulationem sacrae Facultatis Theologiae Parisiensis illis silentium imposuisset. Nihil planè in Republica Christiana periculosius, nihilque communi sanctorum Patrum iudicia cavendum diligentius, quàm rerum novitas, ea praesertim, quae verae scientiae, sacraeque doctrinae manifestè dignoscitur adversari. Sic à primis Ecclesiae temporibus ipse veritatis auctor Spiritus sanctus monuit, sancto Apostolo attestante, qui toties novas & peregrinas hominum in facto doctrinae opiniones omni studio & diligentia fugiendas commendavit. Vt prima epistola ad Timotheum cap. VI. dicitur: O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. ad Ephesios cap. IV. Vt jam non simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Et prima ad Timotheum IV. Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinae demoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam. Et

ad Hebraeos XIII. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Quapropter omnia cura & studio providendum, ne quid in corruptelam morum, scandalum populorum, labefactionem religionis & perniciem animarum evulgetur, vel si contingat in lucem prodire, ut statim e medio tollatur, & omnibus censura notis damnatum longè lateque profligetur. Cùm ergo novissimè in his nostris miseris temporibus, in quibus ad omne curiositatis & novarum rerum genus depravatis & liberioribus ingeniis impunè patet aditus, sacra facultati Theologia Parisiensis quadam occurrissent propositiones typis mandatae, palam & publicè à quibusdam, quo spiritu ductis dubitatur, agitanda, quae ex professo contra doctrinam Aristotelis omnium Philosophorum sine controversia principis, communemque omnium Academicorum consensum & usum militabant, & nonnihil periculi adversus fidei principia involvere videbantur: quarum auctores de eorum fortassis numero existebant, de quibus olim cavendum scripsit Apostolus ad Colossenses II. Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam: postquam à pluribus ejusdem Facultatis Doctoribus specialiter deputatis diligenter examinatae, & discussae fuissent in privatis adibus ejusdem Facultatis, tandem die II. mensis Septembris MDCXXIV. post missam de Sancto Spiritu solito more celebratam in generali congregatione collectis singulorum magistrorum sententiis censuit positiones istas esse valde periculosas, non modò ratione verae Philosophiae, quae à multis saeculis communi omnium Academicarum consensu recepta est, sed etiam quae non parum adversus principia fidei & religionis pugnare deprehendantur. Ex quibus nonnullae instar aliarum peculiari censura sunt notatae.

Sequitur autem ejusmodi Theseon tenor.

Positiones publicae contra dogmata Aristotelica, Paracelsica & Cabalistica, immortalitati sacrae.

I.

Materia prima, quam pro principio transmutationis subjectivo constituunt Peripatetici, sive existentiam habeat à se, sive à forma, commentitia prorsus est, & sine ullo planè fundamento excogitata. In generationibus enim, quas ipse Aristoteles in his inferioribus credidit, hallucinatus est, & cum eo ceteri, qui ejus sententiam amplectuntur.

Hac propositio prima est temeraria & erronea in fide.

II.

Formae item omnes substantiales, excepta rationali, non minùs absurdè defenduntur ab Aristotelicis, quam materia, cum per eas intelligunt substantias quasdam incompletas, unum per se cum materia substantiale compositum constituentes.

Materia enim è naturali composito sublata, & formas saltem materiales tolli necesse est.

Hec propositio est temeraria, erronea & heresi proxima.

I I I.

In transmutationibus naturalibus quocunque modo intelligantur advenire, quia motus sunt, privationem pro principio seu termino à quo ponunt Aristotelici, sed malè, cum eorum etiam in sententia, qui materiam & formam pro aliis duobus principiis admittunt, generatio sit possibilis, nulla præexistenti privatione in materia, ut perquirenti facile innotescet.

I V.

Elementorum numerum malè assignant Peripatetici, sive per ea partes integrantes mundi sublunaris intelligant, sive corpora, ex quibus mixta componantur, & in quæ resolvantur. Paucioribus enim quatuor mundus hic constituitur; & mixtum pluribus, quod utrumque experientie, rationi, & omnium mixtorum anatomie adstipulatur.

V.

Mixtum namque quinque corporibus simplicibus, seu elementis actu & formaliter in eo existentibus constituitur; terra videlicet, aqua, sale, sulfure, seu oleo & mercurio, seu spiritu acido. Quæ vera & sola principia naturalia censenda sunt, utpote quæ neque ex se invicem, nec ex aliis, sed ex ipsis omnia composita physica conspiciuntur.

V I.

Hæc principia ingenerabilia & incorruptibilia sunt, ejusdemque speciei infusa in omnibus mixtis, quicquid imperitum Chymisticum vulgus cum Paracelsore clamat. Diversitas enim salium, sulphurum & mercuriorum, si qua apparet in variis mixtorum resolutionibus, depuratione & separatione heterogeneorum ad homogeneitatem à peritis tandem reducitur.

De prædictis quatuor propositionibus nihil dixit Facultas, quia sunt purè Physicæ, vel Chymicæ.

V I I.

Ex diversa nihilominus mutatione & contemperatione istorum quinque principiorum secundum quantitatem, oritur omnis varietas, quæ reperitur in compositis purè materialibus, sive ea generica sit, sive individualis, cum ex sola unione & mixtione eorum, sine productione nova cujusdam entitatis omnia composita humano excepto constituentur.

Ex diversitate mixtionis & contemperatione principiorum emanat omnis actio, & motus saltem corporeus, qui in quolibet composito sensibili reperitur, non alitur ab agente illo & spiritu universali, igne videlicet, quem aliqui pro anima mundi & principio omnium actionum dormiendo excogitarunt, & multis hujus civitatis primatibus pro arcano maximo tradiderunt.

IX.

Mundus autem hic sublunaris duobus duntaxat elementis, terra & aqua; tanquam partibus integrantibus constituitur: aer enim ab aqua essentialiter non discrepat, nec ignis elementaris in concavo Luna reponendus, cum à cælo Empyreo non distinguatur. Quæ omnia etsi à Philosophia communi aliena videantur, demonstrationibus tamen comprobare non erit multum difficile.

Hæ duæ propositiones ad Philosophos remissæ sunt, ut ad sequentes gradus fieret, quæ sunt alicujus momenti.

X.

Somniarunt Peripatetici, dum parum congruè de naturis locuti dixerunt, veras & phycas alterationes fieri per introductionem novæ & solius entitatis alicujus accidentalis subjecto invariato quoad substantiam manente. Cum tamen nulla unquam sine additione aut detractioe principiorum, aut eorum multiplici mixtione accidere queat.

Hæc propositio est falsa, temeraria, scandalosa, & aliquo modo impugnat sacrosanctum Eucharistia sacramentum.

XI.

Errarunt insuper Aristotelici, dum igni siccitatem in excellenti gradu attribuerunt. Est enim corporum omnium humidissimus, & exsiccatio, quam illi Philosophorum vulgus competere existimat, commentitia, sicut & gravitas terra maxima, quæ in vera Philosophia levior aqua existit, etsi prima fronte sub illa delitescere deprehendatur. Sed & hoc mixtioni & heterogeneitati adscribendum.

Hæc propositio est falsa, & sensui communi repugnat.

XII.

Qualitates virtuales primarum productrices sine fundamento admittunt Aristotelici, cum omnia experimenta, quæ ipsi pro sua sententia jactitant facere per substantias actu & formaliter in corporibus tales actiones producentibus existentes, solvantur, ut & subtiliore talium affectuum perquisitione cuiuslibet vel parum in rebus naturalibus erudito innotescere potest.

Hæc

Hæc propositio est falsa & temeraria.

XIII.

Nihil abstrusius, nihilque magis experientia repugnans transmutatione, quam inter elementa profitentur. Vera enim semper terra est, nec ullo modo in aquam, aut aliud quidvis elementum transmutabilis, sicut nec aqua in terram, aut aer in ignem: quod item de ceteris principijs, sale, oleo, & spiritu dicendum asseveramus.

Hæc propositio est falsa, temeraria & erronea in fide.

XIV.

Ex his omnibus manifestissimum est ignoranter, aut potius malitiosè irrita, & sugillata ab Aristotele duo antiquorum dicta, omnia scilicet esse in omnibus, & omnia componi ex atomis seu indivisibilibus. Quod utrumque, quia ratione veræ Philosophiæ, & corporum anatomia conforme est, mordicus defendimus, & intrepidi sustinemus.

Hæc propositio est falsa, temeraria, & in fide erronea.

Ad calcem harum Theseon continebantur ea, quæ sequuntur mutato caractere.

Cetera, quæ de qualitatibus & mixtione elementorum, meteorum generatione & alteratione, calorûmque natura & proprietatibus Aristoteles, Paracelsus, totaque antiquorum Cabala contra veram philosophandi rationem nobis tradiderunt, proximis Theseibus evertenda reservantur. & infra.

Harum propositionum inexpugnabilem veritatem tuebitur Deo dante Ioannes Bitaudus Sactonensis; arbiter & præses sedebit Antonius de Villon, aliàs miles Philosophus, & in Vniuersitate Parisiensi Professor Peripateticus.

Item minusculis literis.

Atque ut majori omnia sint oblectamento, assidebit Stephanus de Claves Doctor Medicus, qui propterea nixus experientia, assiduâque, & profunda rerum naturalium meditatione suffultus, pro hac iamdiu à se detecta adversus Aristotelis & Paracelsi sectatores elementorum veritate, ubi opus erit, verba faciet, ut abhinc die Lunæ proxima initiantibus experientiis, atque iteratis rationibus ita sua dicta comprobet, omniumque oculis tam apertè subjiciat, ut omnes adstantes verissima hæc omnia, uno simul die fateantur.

Tum demùm hæc clausula sequebatur.

Die Sabbati proxima & Dominica XXIV. & XXV. mensis Augusti toto pomeridiano tempore, Lutetiæ Parisiorum in Palatio reginæ Margaretae.

Haftenus ex tabulario Facultatis Theologiae: nunc referendum est Senatusconsultum, quod his concipitur verbis.

PARISIENSIS SENATUS DECRETUM.

Veut par la Cour la Requête présentée le 18. Aoust 1624. par les Doyen, Syndic & Docteurs de la Faculté de Theologie en l'Université de Paris, tendant à ce que les nommez Villon, Bitaud, & de Claves comparoistroient en personne, pour reconnoistre, advoüer, ou desavoüer les Theses par eux publiées, & ouïr leur declaration, estre procedé contre eux ainsi que de raison: cependant permis faire faisir lesdits Theses, & defenses faites de les disputer, copies imprimées desdites Theses pour estre agitées en public le 25. Aoust. Arrest du 29. dudit mis, par lequel ladite Cour auroit ordonné, que lesdites Theses seroient communiquées aux Docteurs de la Faculté de Theologie, pour donner advis sur icelles. D'avis de ladite Faculté du 2. Septembre, contenant la Censure des propositions contenuës esdites Theses. Le procès verbal de Cassault Huïssier, du 3. Septembre, contenant la proposition faite dudit Villon; ledit de Claves ouy: Conclusions du Procureur General du Roy, & tout considéré. La Cour après que ledit de Claves a esté admonesté, ordonne, que lesdits Theses seront déchirées en sa presence, & que commandement sera fait par l'un des Huïssiers de ladite Cour ausdits de Claves, Villon & Bitaud, de sortir dans 24. heures de cette Ville de Paris, avec defenses de se retirer dans les villes & lieux du ressort de cette Cour, enseigner la Philosophie en aucucune des Vniuersitez d'iceluy, & à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'ils soient, mettre en dispute lesdites propositions contenuës esdits Theses, les faire publier & vendre ou debiter, à peine de punition corporelle, soit qu'elles soient imprimées en ce Royaume ou ailleurs. Fait defenses à toutes personnes à peine de la vie, de tenir ny enseigner aucunes maximës contre les anciens Autheurs & approuvez, ny faire aucunes disputes, que celles qui seront approuvées par les Docteurs de ladite Faculté de Theologie. Ordonné, que ledit Arrest sera leu en l'assemblée de ladite Faculté en Sorbonne, mis & transcrit en leurs Registres, & outre copies collationées d'iceluy, baillées au Recteur de l'Université, pour estre distribuées par les Colleges, à ce que aucun n'en pretende cause d'ignorance. Fait en Parlement, & prononcé le 4. jour de Septembre 1624. Ledit jour ledit de Claves a esté mandé, & lesdites Theses ont esté déchirées en sa presence.

Præcipua hujus Senatusconsulti capita hæc sunt i. Inspecto supplice libello, quem Facultas Theologiæ contra Joannem Bitaudum, Antonium Villonium, & Stephanum Clavium Senatui obtulit, Senatus vetuit, ne propositæ ab iis hominibus Theses in publicum disputandæ prodirent. ii. Senatus idem statuit, ut illæ Theses in manus Facultatis traderentur, Theologiæque magistris communicarentur. iii. Considerata Thesium censura, cui Facultas vacaverat, audito generali Cognitore Regio, & visis quæ ad hanc litem pertinent, instrumentis omnibus, præmonito Stephano Clavio Senatus edixit, ut idem Stephanus, Antonius Villonius, & Joannes Bitaudus infra xxiv. horas Lutetia exirent, nec in ulla ditioni suæ obnoxias urbes sese reciperent, aut inibi Philosophiam docerent. iv. Senatus prohibuit, ne quis sub pœna corporis eas Theses in medium produceret, venderet, vel distribueret, sive in hoc regno, sive alibi typis mandatas. v. Senatus decrevit, ne quis contra veteres & probatos auctores ulla dogmata teneret, aut traderet sub pœna capitis, aut ulla institueret disputationes præter eas, quæ à Theologis Doctoribus approbarentur.

C A P U T. VII.

Nonnulla in hanc ultimam Aristotelis fortunam adnotantur.

Prima fortuna comparatur cum ultima.

SI quis extremam Aristotelis fortunam cum prima contexam, id inveniet, quo rerum humanarum inconstantiam vehementer admiretur. In prima Aristotelis lectio interdicitur: in extrema commendatur. In prima Aristotelis opera comburuntur: in extrema ab omni dedecore vindicantur. In utraque fortuna comparent Theologi, quorum alii primam, alii extremam adornarunt. Deinde rerum conversio vix potest esse major, quàm quæ hîc apparet. Qui Aristotelis libri legebantur olim, nunc non leguntur, vel

vel si leguntur, degustantur magis, quàm leguntur. Qui verò non legebantur olim, nunc omnino leguntur, mirantibus Scholis, plaudentibus Academiis. Res est facti, quæ sua expositione splendet. Historicè loquor, nec meum est tantas inter se componere lites.

Quantum sit ultima Aristotelis fortuna præsidium.

Hæc postrema fortuna auctoritate stat sua, quæ sine dubio gravissima videri potest. Ex veterum Christianorum commentariis mihi nihil occurrit, quod huc adferam, præter Anatolii Laodicensis Episcopi factum, cujus cap. 11. memini. Sanctus quidem Hieronymus libro contra Jovinianum primo laudat Aristotelem, sed non laudat in iis, quæ ad Metaphysicam, aut Physicam spectant: verba sunt hæc: *Scriserunt Aristoteles, & Plutarchus, & noster Seneca de matrimonio libros, ex quibus & superiora nonnulla sunt, & ista quæ subjicimus.*

Venerabilis Beda, quamvis Aristotelem à Christianæ fidei vicinitatibus & confiniis prohibuerit, ut capite secundo visum est, sententias tamen ex eo decerptas corpus in unum compegit.

Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus in Cap. primum 1. ad Corinthios epistolæ, super illud *Non in sapientia*, notat: *Sapientiam, ubi dialecticam dicit, per quam crux, id est, mors Christi eam simpliciter intelligentibus evacuari videtur, quia Deus immortalis, Christus autem Deus; Christus autem igitur immortalis; si autem immortalis, mori non potuit. Sic de partu Virginis, & quibusdam aliis sacramentis. Perspicaciter tamen intuentibus Dialectica sacramenta Dei non impugnat, sed cum res exigit, si rectissime teneatur, astruit & confirmat.* Hæc ille, qui languescens apud Gallos bonarum artium & disciplinarum studium anno circiter MXL. excitavit, primum quidem in civitate Abrincarum, deinde Becci, ubi Monachum professus infinitos habuit auditores, quos inter Anselmus enituit. His autem Lanfrancus non alludit, opinor, ad Augustini, vel Alcuini, vel alterius cujusdam Christiani Doctoris, sed Aristotelis Dialecticam, quæ argutias continet longè subtiliores, & vulgò periculosiores. quod ille vir magnus non dissimulat in lib. de Eucharistia, ubi cap. vii. sic Berengarium al-

loquitur relictis sacris auctoritatibus ad Dialecticam confugium facis. Et quidem eo mysterio fidei auditurus ac responsurus, qua ad rem debeant pertinere, mallet audire ac respondere, sacras auctoritates, quam dialecticas rationes. Verum contra hæc quoque nostri erit studij respondere, ne ipsius artis inopia me putes in hac tibi parte deesse. Fortasse jactantia quibusdam videbitur, & ostentationi magis, quam necessitati deputabitur, sed testis mihi Deus est, & conscientia mea, quia in tractatu divinarum literarum nec proponere, nec ad propositas respondere cuperem dialecticas quæstiones, vel earum solutiones. Et si quando materia disputandi talis est, ut hujus artis regulas valeat enucleatius explicari, in quantum possum per equipollentias propositionum, lego artem, ne videar magis arte, quam virtute, sanctorumque patrum auctoritate, confidere.

Robertus de Monte in nova ad Sigebertum appendice anno M.C.XXVIII. notat fuisse Venetiis, qui quosdam Aristotelis libros nova latinitate & commentariis donavit: Iacobus, inquit, Clericus de Venetia transtulit de Græco in Latinum quosdam Libros Aristotelis, & commentatus est, scilicet Topica, Analyticos priores & posteriores, & Elenchos, quamvis antiqua translatio super eosdem libros haberetur.

Petrus Cellensis Abbas lib. IX. epist. XII. certum quoddam Aristotelis consilium laudat, quamvis illud non omninò sequatur: Non ignoro, inquit, apud Aristotelem, dubitare de singulis non esse inutile. Nonnihil tamen additum fuisse Petrum huic Philosopho, vel inde colligi potest, quòd ei Nicolaus sancti Albani Monachus exprobrat morem Aristotelicum disputandi. Sic enim loquitur in epistola, quæ nona est libri IX. Epistolarum Petri Cellensis: Ironico typo subsannans (me Petrus) hinc bonum dormitasse Homerum Aristotelico more sic logicat, & cætera, quibus Petri literas, & sancti Bernardi de Conceptionis beatæ Mariæ festo sententiam vexat.

Johannes Saresberienfis Carnutum Episcopus à Richardo Constantiensi Archidiacono postulat epistola CCII. ut descriptos Aristotelis libros ad se mitti curet: De cetero, inquit, jam à multo tempore porrectas iterò preces, quatinus libros Aristotelis, quos habetis, mihi faciatis exscribi, & notulas super Marcum, meis tamen sumptibus, quæso in hac re nulla ratione parcatis. Precor etiam iterata supplicatione, quatinus in operibus Aristotelis, ubi difficiliora fuerint, notulas faciatis, eo quòd interpretem aliquatenus suspectum habeo: Qui licet eloquens fuerit aliàs, ut sæpè audivi, minus tamen fuit in grammatica institutus. Hæc ille, qui ad annum MCLXX. inter celebres ma-

gistros excelluit. Vix aliud apud antiquos quærendum esse præsidium prima, secunda, tertia & quarta fortuna declarant.

In Florentino Concilio fuit Rhodiensis Episcopus, qui sess. IV. Aristotelem laudavit: illius verba sunt: *Ego ad alia tria respondebo. Primo quidem ajo, testem nobis esse Aristotelem, duos esse procedendi modos, quia, & propter quid.*

Huic Episcopo accedit Nicolaus V. qui vertendos in Latinum pæne omnes Aristotelis libros curavit. Accedit & Marcus Ephesus, quem Bessarion Platonis calumniatorem, & Aristotelis laudatorem appellat.

Pius II. Pontifex in Bulla Retractationum suarum Aristotelem sic laudat: *Quales Magistri, tales discipuli evadere solent, paucos invenias Aristoteles, qui Platonica norunt destruere dogmata. Non est discipulus supra Magistrum.*

Canis de retinendi Aristotelis Philosophia judicium.

QUÆ Melchior Canus illustris in Tridentino Concilio Theologus de Aristotele disputat lib. 10. de locis cap. v. in hanc extremam fortunam quadrare satis videntur: ea sunt ejusmodi: Enimverò quis primas inter Philosophos habeat, quisve proinde ille sit, cui præcipuam dare operam opera pretium sit, variæ sunt doctissimorum hominum, discrepantesque sententiæ. Nam ut alios præteream, in hujusmodi causa aliud divo Augustino videri solet, aliud videtur divo Thoma. Divo Augustino Plato summus est, divo Thoma summus est Aristoteles: sic ferè res habent, ut id doctrinæ genus quisque maximè probeat, cui à teneris annis maximè assuetus est. Et exoritur Augustini ratio ex altera parte, nullos esse omnium Christianæ magis doctrinæ concordēs, quàm Platonicos: Plato siquidem fuit ex Hebræis Philosophus, ut Clemens Alexandrinus auctor est. Immo verò, inquit Thomas, Peripateticorum doctrina Christiano Dogmati consentit plurimum. Clemens enim Alexandrinus lib. 5. Stromatum etiam refert, Aristobolum multis libris probasse, Philosophiam Peripateticam ex lege Mosaica & aliis dependisse Prophetis. Ac divi Thomæ sententiæ quidem, & omnium penè gentium, multorum sæculorum usu probata est. Platonem enim jam inde è multis annis vix in angulis homines otiosi legunt. Aristotelem verò magno consensu orbis Academicæ resonant. In Aristotelis quoque illud elogium unicum universæ consentiunt gentes, per antonomasiam Philosophum, hoc est, Philosophorum primum fuisse: jure ergo illum amplectimur, cujus è laude omnium sit fama con-

sen-

fentiens. Divo etiam Thoma ita sunt Theologi Scholastici affensi, ut in Schola Theologiae Plato ne locum habeat quidem, ita eam Aristoteles occupavit. Illud constat, neminem in rebus naturalibus planè eruditum esse posse, si solum Platonem legat. Solus autem Aristoteles abundè sat est, ut sit homo in Philosophia tribus omnino partibus eruditus. Sanè, ne quis causetur, misero seculo Aristotelem Theologis, Platonem autem meliore Ecclesiae statu placuisse, sciat is, quicumque est tandem, scholam Aristotelicam Alexandria, tum etiam vigere solitam, cum ibi Doctores Apostolici vigerent plurimum. Sed enim ut mihi quidem videtur, nec Augustini, nec Thomae contemnenda est sententia. Nam & iis concedendum est, qui Aristotelem amant, & iis forsitan, qui Platonis amici sunt. Quorum iudicium in eo, quod de animi immortalitate, de Dei providentia, de rerum creatione, de finibus bonorum & malorum, deque alterius vitae vel premio vel pœnis, Platonem apertius constantiusque locutum asserunt, difficile factum est, non probare.

Probanda verò magis est Divi Thomae opinio. Sed ita tamen ut adhibeatur moderatio quaedam, sine qua probari illa non potest. Placet enim quoque nobis Aristoteles, & rectè placet, modò ne repugnantem illum Christi velimus semper dogma convertere. Id quod interpretes ferè solent, qui vim contextui sæpè asserunt, atque Aristotelem cogunt, ut velit nolit pro fide Catholica pronuntiet. Periclitemur autem, si placet, & in iis quidem exemplis, in quibus errasse Aristotelem vulgus Theologorum fortasse non putat. Nec enim hoc loco de aeternitate mundi, mentiumq; præfinito numero differendū est. Sed ne de animi immortalitate quidem. Nam illa priora obvia sunt omnibus. Hæc autem questio in his commentariis, quos de anima scripsit, accuratissimè est à Cajetano disputata. Verùm hæc consideremus quæ difficiliora sunt, & quæ Aristoteles vafre verbisque de industria ad imponendum compositis obscure videtur enunciasse, ut si à doctis fortasse viris jure quandoque, & verè reprehenderetur, haberet, quo posset elabi, atque ab amicis excusari. Nec ego hîc tamen adversus Aristotelem excusationem instituo, virum doctissimum, deque humanis literis omnibus benè meritum. Sed cum plerique ab illo nunc non aliter, atque ab oraculo pendere videantur, securèque omnia illius opera legere, minuenda est hæc opinio, ne ab hujus Philosophi placitis dissentire, piaculi loco sit. Audivimus enim Italos quosdam, qui suis & Aristoteli & Averroi tantum temporis dant, quantum sacris literis, qui maxime sacrâ doctrinâ delectantur, tantum verò fidei, quantum Apostolis & Evangelistis, qui maxime sunt in Christi doctrinam religiosi. Ex quo nata sunt in Italia pestifera illa dogmata de mortalitate animi, & divina circa res humanas improvidentia, si verum est, quod dicitur, nihil enim præter auditum habeo. Cum homines Aristotelis inflati opinionibus turpiter sibi

blandiuntur, & inde in maximo versantur errore. Sed hæc hæctenus, nunc ad propositum revertamur.

Primus igitur locus, ubi contra Scripturarum fidem errasse Aristotelem existimo, habetur de somno & vigilia, quo loco negat Deum immittere somnia, &c.

Alterum exemplum est in tractatu de bona fortuna, ubi res fortuitas divina gubernationi ac directioni subtrahit.

Tertius locus est libro I. de Cælo, ubi quicquid genitum esset, id corruptibile asseruit, nec incorruptibile quicquam, quod non esset ingenitum. Posuerat verò ante omnia varias harum vocum significaciones, ne res verbi ignorantia clauderetur, &c.

Quartus locus est libro V. rursusque XII. Metaphys. quibus locis definit, Deum animal esse perpetuum & optimum. Vocat autem Deum communi nomine substantiam quamcumque caelestem & divinam. Nam post hæc incipit inquirere, an ista substantia sempiterna una, an plures sint, &c.

Quintus locus est eodem quoque libro, ubi substantiis intellectualibus caloribus motricibus virtutem tribuit infinitam, quod infinito tempore moveant.

Sextus locus est eodem etiam libro, ubi, ut mihi videtur, Dei providentiam, præmiâque & supplicia, quæ probos & improbos in futura vita manent, fabulas esse significavit, gratia vulgi continendi in officio confictas, &c.

Quid quod duo principia Aristoteles posuit, Deum & materiam, nec enim rerum creationem ex nihilo agnovit. Cujus quidem rei testes non mediocres, sed haud scio an gravissimos, Clementem Alexandrinum Epiphaniûmque lector noli contemnere. Atque hæc Aristotelis quidem sensa fuisse verè recundiùs assero propter D. Thomam, qui hujus Philosophi solet ferè esse patronus, sed Doctores doctissimi probant illum ita sensisse, quos ego hæc in parte secutus sum. Si quis verò pro Aristotelis sensu Apologiam adornet, cum hoc ego non magnopere contenderim. Tantum à lectore postulo, ut mihi concedat si potest, Aristotelem in his locis errasse: sin hoc non licet per divum Thomam, at illud certè dabit, vel cautè eum ut varium & lubricum esse legendum, vel certè esse in nonnullis placitis reprobandum. Mihi utrumvis satis est, & tum hoc, tum illud probabilius videtur, nec præterea quicquam probabile.

Quedam in hoc judicium animadversio.

Hæc paullo longiora descripsi, quia mihi visa sunt necessaria, ut
 quæ

qua ratione in his posterioribus sæculis apud alios defenderetur Aristoteles, ex fermone nominatissimi in paucis Theologi appareret. Sed quantum ex eo licet conicere, perspectum animadversumque non habuit, hujus Philosophi libros, cum primum Constantinopoli delati sunt Lutetiam, provincialis Synodi auctoritate, & Academico consensu, damnatos fuisse, & igni addictos. Deinde nescit Legatum illum Apostolicum, qui sub Innocentio III. Paris. reformavit Academiam, cavisse, ne Aristotelis Metaphysica & Physica legerentur; aut rem istam à Gregorio IX. sic esse temperatam, ut hi libri non antè legerentur, quàm ab erroribus purgati fuissent. Tum quæ de Alexandrini philosophi schola retulit, spectavit seorsum à complexu personarum & temporum, quibuscum spectari necessariò debuerunt. Præterea Aristotelem inter & Platonem eam persequitur comparationem, quam Cardinalis Bessarion & Marcus Ephesinus instituerant. Canus à Marci Ephesini partibus stat contra Bessarionem, ob idque nonnullas rationes exponit. Ea tamen in Aristotele notat *σφάλματα*, quæ notasse Marcum me non memini. Quo factum est, ut inter utrumque nonnihil adhuc discriminis intercedat. Postremò utrum sine Platone, sine Aristotele, sine Philosophis Christianæ religionis dogmata, res scilicet Theologicæ transigi possint, non tractat, sed istud à Cano tractari ut quid maximè necessarium voluissim. Scriptura & traditio, sacræ doctrinæ principia duo cum sufficiant sibi, nihil est admodum, cur aliena tam anxio & sollicito animo requirantur. Quòd autem ista dua principia sufficiant, id invenio traditum à Lirinensi Vincentio, qui de sententia quamplurimorum Patrum doctrina & fide illustrium sic scribit cap. 1. Commonitorii 1. *Sapè igitur magno studio, & summa attentione perquirens à quamplurimis sanctitate & doctrina præstantibus viris, quonam modo possim certa quadam, & quasi generali ac regulari via Catholica fidei veritatem ab heretica pravitate falsitate discernere; hujusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli: Quòd sive ego, sive quis alius vellet exurgentium hereticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam Domino adjuvante deberet: Primò scilicet, divina legis auctoritate, deinde Ecclesie Catholice traditione. Quò spectat etiam æqualis Vincentio Theodoretus in Dialogo de Immuta-*

tabili: *velim ne humanis rationibus veritatis inquisitionem subjicias, sed Apostolorum, & Prophetarum & sanctorum, qui hos secuti sunt, vestigia inquiras.* Ex his autem duobus auctoribus constat quanta sit hac in re Occidentis & Orientis consensus: præsertim cum nullus alius dissentiat. Dico igitur quod mihi visus sum in antiquis Ecclesiæ Conciliis & Patrum scriptis observare, sed non dico quid alii ea in re sentire debeant. Patres quidem aliquando usi sunt Gentilium Philosophia, qua Gentiles ipsos & Gentilium numina destruerent, non qua Christum assererent, vel ejus fidem confirmarent. Theologiæ ancillam recentes novique Doctores, nominant Gentilium Philosophiam; tamen non inveniam Christianos veteres ita locutos, qui Ethnicorum opera & ministeriis quoad omnino possent, non utebantur. Sed caveant ne quam faciunt ancillam, ab ipsis tandem aliquando magistra fiat. Verum hæc disputare nunc, instituti non est mei. Ego enim, quæ Aristotelis causam spectant, scribere tantum decrevi.

Ad Canum pro Aristotele accedit Bernardus Casertanus Episcopus.

UT duo sunt pro centum aliis, Cano adjungi potest Antonius Bernardus Mirandulus Casertæ Episcopus, qui lib. xxvi. Eversionis singularis certaminis sect. vi. de Aristotelis doctrina sic scribit. *Concedimus eos, qui non legerunt sacras scripturas ante adventum Christi redemptoris nostri, vel eas non intellexerunt, vel lumine Spiritus sancti non fuerunt illustrati, nunquam potuisse hanc rem credere; sicut accidit Judæis; non tamen ex hoc sequitur, quin Aristoteles potuerit credere, Deum cognoscere ista inferiora, & lumine aliquo divino commotus proferre illas auctoritates, non solum ad persuasionem multorum & ad usum legum, verumetiam ad ipsam veritatem, præsertim cum eas multis in locis protulisse videatur, in quibus nulla necessitate cogebatur hoc facere. Quare cum nulla sit ratio, quæ nos impediatur, quominus asseramus Aristotelem aliud ratione naturali ostendisse, aliud credidisse, & hoc pium sit & rationi consentaneum, non video, cur nonnulli homines ita obstinate & mordicus velint tueri Aristotelem nihil credidisse, nisi id quod ratio naturalis ostenderit. Præsertim cum nos, qui Christiani sumus, non negemus, rationem naturalem aliquando concludere aliud ab eo, quod ipsi credimus. Non enim existimandam est, id ei quoque accidere non*

potuisse, quod multis ex nobis accidere experimur, ut videlicet aliud ex sua religione crederet, aliud ex ratione naturali dicendum esse arbitratur. Etenim nemo est ex nobis, qui Christi redemptoris ac servatoris nostri religionem & pietatem verè profiteatur, qui nesciat ex principiis naturalibus fieri non posse, ut ex eo quod non est simpliciter, aliquid fiat, & fieri non posse, ut verbum fiat caro; & tamen firmiter non credat, mundum universum à Deo optimo maximo, ex eo quod non erat simpliciter, creatum fuisse, & verbum factum esse carnem, proque his tuendis ac defendendis vitum libentissimè, si opus esset, non profunderet. Etenim quamvis Aristoteles non eas veritates de Deo Opt. Max. & de Christo servatore nostro assecutus fuerit, quas non immenso ipsius Dei beneficio consecutos esse firmiter tenemus, non tamen ex ejus dictis colligere possumus, eum lumine divino ita prorsus destitutum fuisse, ut asserendum sit ipsum nullam omnino tanti numinis tamque admirabilis principij cognitionem tenuisse, de quo clarissima voce tam multa præclare tot in locis protulit, ac testata reliquit. Præsertim cum existimandum sit, Deum Opt. Max. non tam fuisse hominum generi insensum & inimicum, ut passus fuerit ipsum tamdiu in omnibus rebus decipi, atque in turbulentissimis erroribus versari, sed singulis ei sæculis aliquas veritates & eas maximè, quæ maximi erant momenti, diversis viis & variis oraculis aperuisse. Clariora sunt ista, quàm ut explicatione ulla indigeant. Apertè loquitur Casertanus Episcopus, audiat qui voluerit. Res tamen non est ejusmodi, ut qui audire noluerit, futurus sit tanquam ethnicus & publicanus. Id cum alia probant multa, tum Cassiodorus in opere de Dialectica, ubi Philosophiam ita definit. Philosophia est divinarum humanarumque rerum, in quantum homini possibile est, probabilis scientia. Aliter Philosophia est ars artium, & disciplina disciplinarum. Rursus, Philosophia est meditatio mortis, quod magis convenit Christianis, qui sæculi ambitione calcata, conversatione disciplinabili, similitudine futuræ patriæ vivunt. Sicut dicit Apostolus: in carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. & alibi: conversatio nostra in caelis est. Inspectiva dicitur, quia supergressi visibilia de divinis aliquod & caelestibus contemplamur, eaque mente solummodo contuemur, quantum incorporeum supergrediuntur aspectum. Verùm hocce tempore in quo versamur, & in quo apud Christianos longè latèque dominatur Aristoteles, prætermittere non audeo (historiam enim scribo) quæ Franciscus Patricius Romæ contra hanc philosophiam disseruit, & juris postea publici fecit.

Circa

Circa idem tempus Gregorio Papa XIV. proponitur tollenda è Scholis Christianorum Philosophia Aristotelis.

FRANCISCUS Patricius celebris in Romano Gymnasio Professor, in Epistola qua novam suam Philosophiam universalem Gregorio XIV. nuncupat anno M.D.XCI. ablegandam esse è Christianorum Schola Philosophiam Aristotelis sic proponit. *Cur ergo Pater Sanctissime, sperare non debeam, quin tu primus quando Philosophia ista tam pia, te summo animorum Pastore Presidente, ac Christi vires in terris gerente partim nata sunt, partim renata, tuoque nomini ac numini consecrata ac commendata, tu quoque eas libentissime suscipias ac jubeas, atque horteris & te imitari, reque ipsa admoniti successores omnes tui patiantur etiam ac velint, ut in omnibus ditioris tuae & Romae praesertim ac reliquis Christiani orbis gymnasiis, cœnobisque harum aliqua publicè legatur Philosophia. Quae ingenti futura sit adjumento ad Christi fidem fovendam, tuendam ac per reliquum nondum Christianum orbem propagandam. Quippe quae rationibus firmet ea, quae sola ratio firmare potest. Cur Aristotelis Philosophia ea praelegantur partes, quae magis & Dei & Ecclesiae suae sunt hostes. Pia haec adpatrices nullo sunt in numero, & quibusdam interpositis: Deus bone; quam sacrosancta, quam admiranda est apud Damascenum, opere de Principiis, de Deo, de Trinitate, de divinis ordinibus philosophia! Platonicos hosce philosophos (quos antea nominavit) Divus Augustinus Theologorum columnen & culmen, philosophorum omnium nobilissimos semper in ore habet, & ceteris omnibus anteponeit. Aristotelicam, pro nefas, manifestissimam impietatem eis praeferunt, sed praeferunt ignorantia. Profecto Theologi veteres omnes, qui & sacrosanctae fidei fecerunt fundamenta, & Ecclesiam alitè extruxerunt, Divus Dionysius, Iustinus, Clemens Alexandrinus, Origines, Cyrillus, Basilus, Eusebius, Theodoretus, Arnobius, Lactantius, Augustinus, Ambrosius, alij plerique omnes, quia scirent paucis mutatis Platonicos facile Christianos fieri posse, (Augustini verbis utor) Platonem ejusque scitatores hosce philosophos reliquis omnibus antetulerunt, Aristotelem nonnisi cum infamia nominarunt: quadringentis vero abhinc circiter annis Scholastici Theologi in contrarium sunt annexi, Aristotelicis impietatibus pro fidei fundamentis sunt usi: excusatos eos habemus quod graecas literas nescirent, illos cognoscere non potuerant. Non verò eos excusamus, quod impietate pietatem adstruere sint conati.*

Deinde in opusculo quodam cui nomen est *Aristoteles exotericus*: sed quoniam eorum sectatores, quia in tanta apud eos *Aristotelem* vident existimatione, *Platonem* ne nominatum quidem esse, in *Aristotelem* solum omnibus studiis feruntur, Neque tamen animadvertunt, sese magnam imbibere impietatem. Operapretium est huic malo ut succurramus, & ita dicimus *Aristotelis* *Philosophiam mysticam*, quam ipse è *Platonis* ore hausit, quoniam haud multum à fide *Catholica* discrepat, & uti *Philosophiam* nos maximè probare, *exotericam* autem, quia *Catholica* fidei sit maximè adversa, & quia *Philosophiarum* omnium inconstantissima, & sibi ipsi repugnans maximè, & omnium falsissima, tantum in eo potuit odium contra *Platonem*, ut quid diceret, nihil consideret nos aversari, quòd partim *Tom. III.* & *Tom. IV.* *discussionum peripateticarum* ostendimus clarissimè, partim verò quantum sit *Catholicis* *fundatoribus* adversarius, & hostis, & quantum eiisdem sit amicus *Plato*. Sunt autem loca aliquot conferenda. Conferamus ergo præcipua fidei nostræ sacrosancta capita, ut posthac *scholasticorum* istorum *Theologorum* sectatores agnoscant, quantum amicum odio prosequantur, & quantum hostem adornent, admirentur, & in ejus verba jurent.

- I. *Plato* multis locis, sed præcipuè in *sophistica*, in *sexto de Republica*, & in *Parmenide* astruit *Deum* esse unum, *Aristoteles* unum primum motorem, sed & *LVI.* alios *Deos orbium cœlestium* motores adstruit. Deinde. *I.* de cœlo cap. *IX.* ait supra extimum cœlum multa esse ordinata, à quibus pendeat aliorum esse, & vivere, & qua beatissimam degant vitam. Igitur *Aristotelis* *Philosophia* *exoterica* nulla est mundi monarchia, sed vel *Polyarchia*, vel *Anarchia*, quam *Divus Gregorius Nanzianzenus* magnopere impugnavit.
- II. *Plato* in *2. epistola* tres nominat reges, tria scilicet rerum principia, nimirum *Deum Trinum* & *Vnum*.
Aristoteles in sua vel *Anarchia* vel *Poliarchia* persistit.
- III. *Plato* *Summum Deum Patrem* appellat in *Timæo* & *epistola VI.*
Aristoteles nullum agnoscat *Patrem Deum*.
- IV. *Plato* *Deum* esse simplicissimum affirmat. *I.* de *Republica*.
Aristoteles ζῷον animal eum facit *XII.* *Metaphysicæ*.
- V. *Plato*, *Deus* est *Summum Bonum*, inquit *VI.* de *Repub.*
Aristoteles ut bonum orbe primo expeti. *XII.* *Metaph.*
- VI. *Plato*, *Deus* est *Sapientia Summa* *V.* de *Repub.*
Aristoteles, *Deus* est *Intellectus*, sed ignorat particularia, *ibid.*
- VII. *Plato*, *Deus* est *Omnipotens*, *Timæo*.
Aristoteles nihil potest, præterquam cœlum movere.

- VIII. Deus incorporea omnia entia fecit, Philebo sophista, Parmenide:
 Aristoteles, Deus nihil fecit, neque facit, sed est solum in caeli culmine,
 II. de caelo.
- IX. Plato, Deus mundum corporeum fabrefecit, Timaeo.
 Aristoteles, Deus non fecit mundum qui aeternus est, I. caeli.
- X. Plato, Deus mundum fecit ex nihilo, quia ex nulla materia precedente, quam
 & ipsam creavit, Timaeo.
 Aristoteles, ex nihilo nihil fit, I. Physicorum.
- XI. Plato, Deus mundum fecit ante tempus, Timaeo.
 Aristoteles, mundus & tempus semper fuere, Phys. II. & I. de caelo.
- XII. Plato, mundus, quia corpus, finitam habet potentiam, Timaeo.
 Aristoteles, mundus & caelum infinitam habent potentiam sese movendi, I. de
 caelo & XII. Metaphys.
- XIII. Plato, mundum & caelum, quia corpora finita, finitam habent motus
 actionem.
 Aristoteles, caelum est quidem corpus, sed actio ejus motus infinitus est VIII,
 de caelo & XII. Metaphys.
- XIV. Plato, quia caelum & mundus corpora finita sunt, & potentiam & actionem
 finitas habent sui natura, & est corruptibile, Timaeo.
 Aristoteles, neque caelum, neque mundus sunt incorruptibilia.
- XV. Plato, quia mundus sui natura est incorruptibilis, corrumpetur aliquando nisi
 Deus eum servaret, Timaeo.
 Aristoteles, mundus non corrumpetur, neque Deus eum servat, sed caeli
 motus, VIII. physic.
- XVI. Plato, Deus est supra omne ens, & supra omnem essentiam, Sophista, Par-
 menide.
 Aristoteles, Deus est Substantia, Metaph.
- XVII. Plato, Deus est supra omnem Intellectum, VI. de Repub.
 Aristoteles, Deus est Intellectus XII. Metaphys.
- XVIII. Plato, Deus nec movetur, neque movet, I. Repub.
 Aristoteles, Deus quidem non movetur, sed primum caelum movet VIII,
 Phys. XII. Metaph.
- XIX. Plato, Deus omne corpus supereminet, Soph. Timaeo, Parmenide.
 Aristoteles, Deus in caeli culmine sedet, II. de caelo.
- XX. Plato, Deus est ab omni corpore liber, Soph. Timaeo, Parmenide.
 Aristoteles, Deus primo Orbi est alligatus, VIII. Phys. I. de caelo.

- XXI. Plato, Deus universi providentiam habet, de regno & alibi.
Aristoteles, Deus à Cælo tantum expetitur, XII. Metaphys.
- XXII. Plato, Deus omnia novit, I. & II. Alcib. & alibi sepè.
Aristoteles, non cognoscit particularia, XII. Metaph.
- XXIII. Plato, Deus mundum regit universum & partes ejus, de regno & Timæo.
Aristoteles, non Deus sed natura, casus & fortuna regunt mundum, II. Phys.
- XXIV. Plato, Deus in regimine mundi utitur ministris, minoribus diis, Timæo.
Aristoteles, Deus neque regit mundum neque ministros habet, VIII. Phys. & I. de generatione.
- XXV. Plato, in mundo sunt demones, Sympos. Timæ. & alibi.
Aristoteles, nullibi hos agnoscit demones.
- XXVI. Plato, Deus animam universi produxit, Timæo.
Aristoteles, Deus non produxit animam ullam universi, sed cælum tantum est animatum & astra.
- XXVII. Plato, Deus produxit animam humanam, Tim.
Aristoteles, est actus corporis, hoc est è materia educta, II. de Anima.
- XXVIII. Plato, anima humana divina est quadam forma, Phædone & alibi.
Aristoteles, anima est forma corporis, Phys. II. de Anima.
- XXIX. Plato, anima humana est immortalis, Phædro, Phædone & alibi.
Aristoteles, ut forma corporis anima est mortalis.
- XXX. Plato, anime connatus est intellectus, Phædro. LXI. de Rep. Timæo.
Aristoteles, intellectus de foris venit, II. de animalium generatione.
- XXXI. Plato, anima à corpore seperatur, Phæd. & alibi.
Aristoteles, anima à corpore non separatur quia ejus est forma.
- XXXII. Plato, anima divino afflatur spiritu & futura prenunciat, Apol. Phædro.
Aristoteles, anima humore melancholico prædicat, de divinit. per som. & problem.
- XXXIII. Plato, hominis fœlicitas venit quando Deo fit similis, I. Alcib. Theat.
Aristoteles, homo bonis fortunis fit beatus. Moral.
- XXXIV. Plato hominis fœlicitas à Deo venit, I. & II. Alc. Men. Theage.
Aristoteles, homo ex suis bonis actionibus & suo arbitrio fit fœlix.

XXXV. Plato, Deus est precandus ut nos beatos efficiat II. Alcib. sapè alibi.

Aristoteles, Deus particularia non intelligit, ergo non precandus.

XXXVI. Plato, veniet homo qui nos Deum precari doceat, hic Christum in-
nuit.

Aristoteles, preces omnes frustraneæ, quia Deus non intelligit particu-
ria.

XXXVII. Plato, bonus vir Deo semper charus Eutyphr.

Aristoteles, particularia Deus non intelligit, nec preces audit, nec ho-
minem ullum amat.

XXXVIII. Plato, bonus vir post mortem Deo fruetur, Phæd. I. de Repub.

Aristoteles post mortem nulla voluptas.

XXXIX. Plato, animæ post mortem purgantur, Phæd. Timæo.

Aristoteles, omnes in corpore pereunt.

XL. Plato, animæ malorum post mortem pœnas dabunt. Phædro Tim. Phæd.

Aristoteles, animæ in corpore corruptæ nihil patientur.

XLI. Plato, homines mortui resurgent X. de Rep.

Aristoteles, à privatione ad habitum non fit regressus.

XLII. Plato, bonæ animæ beatum locum possidebunt. Phæd.

Aristoteles, nullus est fati locus.

XLIII. Plato, & corpus & animæ malorum in inferno cruciabantur.

Phæd. X. de Rep. Phæd.

Aristoteles nihil tale novit.

Quæ quidem omnia capita & plura etiam alia non pauca, quæ colligere po-
test quisque paulo diligentior, cum Platonicè sint & philosophicè verissima,
& cum fide Catholica consona: At Aristotelica vero & fidei adversa &
philosophicè falsissima, quis jam vel tam impius erit Christianus, vel tam bar-
dè philosophus qui Platonem & pietatis & philosophiæ ergo Aristoteli non
præferat? quæ res cum ad Christianam fidem maximè conferat, & ad Phi-
losophicam veritatem faciat maximè, cur non post hac in omnibus Europæ
gymnasiis publicis? cur non in monachorum cœnobiis Platonis lectio studiumq;
introducetur? cur non Aristotelis exoterica philosophia ex hisce locis in exili-
um amandabitur? quid enim opus amplius habebunt ex ea impietate tam mor-
tiferum venenum bibere, quo veluti lethargo anima in Dei cognitione obdor-
miat? anima nunquam lethali hoc somno expergiscatur & in æternos dam-
netur cruciatus.

Publicus censor hæc probavit eatenus, ut minimè negaretur, Aristotelis philosophiam esse ancillam Theologiæ: bene res se habet, ego non renuo: sed quæ unquam honesta mulier vellet ancillam habere talem, qualem Patricius describit, Lais forsan haberet, Lucretia, opinor, non haberet. Quicquid id est, Philippus Melanchthon & alii superioris sæculi scriptores qui seorsum à nobis per religionem sentiunt, nec graviora nec duriora de Aristotele, quàm Patricius, dixerunt.

Fuere amen nostris temporibus, qui quæ in Patricio non culpantur, in Melanchthone culparint: sed ista sunt partiû studia, quæ nec Christianum hominem, nec alium amantem veritatis quemlibet decent: verum à quocumque dicatur, semper verum erit, & rectum à quocumque decernatur, semper rectum erit, sed Melanchthon ex Romana Ecclesia exire non debuit, ut è scholis Theologorum Aristotelem abigeret, neque qui in Romana remanserunt Ecclesia, damnare Melanchthonem debent, quòd Aristotelem è scholis Theologorum abigere voluerit. Sed quod cum abigere voluerit, matrem Ecclesiam deseruerit & antiquam fidem novitate prava conturbarit.

Ecce tibi HABERTE MOMMORI præstantissime; quot & quantos in Academia Parisiensi fortunæ casus habuit, qui sæculis abhinc multis Philosophorum Princeps appellatus est. Ecce tibi casuum ejusmodi historiam confeci, nisi forsan id operis dicendum sit plurium monumentorum inter se collectio & contextus, non historia, quam non meum est scribere, sed oratoris esse in dicendo summi, summus orator affirmat. In eo tamen opere cognosces à me positum esse nihil, quod historiæ legibus non consenserit; deprehendes quoque quid de Aristotele non prisca solùm ætas, sed etiam recentior judicarit, quid

probandum vel improbandum sit in illius Philo-
phia, & quomodo instituenda Theologici studii ra-
tio. Quæ omnia quoniam haud excellenter perfec-
ti, si non ingentem fructum afferent, erunt certè argu-
mentum ejus rei, quàm & diligentius & à viro do-
ctiore perfectam esse velle pro tua æquitate, judicio,
eruditione potuisses. Scio quidem te & doctrinæ
opinionem & egregiarum animi virtutum mentio-
nem deprecari; sed tribuendam quoque esse vere-
cundiæ tuæ veniam non ignoro. Ceterùm si quid
prætermisi, quod dictu necessarium fuerit, id non
dissimulatione ulla, sed ignoratione sola prætermisi:
si quid verò inter narrandum deliqui, id non con-
silio meo ullo, sed infirmitate propria deliqui.

Quare si quid addendum aut detrahendum
videbitur, addam aut detraham tua vel al-
terius admonitione, qui me amabit plu-
rimùm, hoc est, utiliter castigabit.

F I N I S.

Interferenda.

Paginâ 57. lineâ 21 post verba, quæ ex illius Philosophia depromuntur, adjungantur sequentia quæ per incuriam è schedis Authoris excidere.

Facultas Theologiæ damnavit Lutheri Propositiones duas quæ ad Aristotelem non nihil pertinent.

Cum annus Christi agebatur millesimus quingentesimus vicissimus primus: Facultas Theologiæ plures Martini Lutheri propositiones damnavit. In iis sunt duæ, quæ ad Aristotelem non nihil pertinent.

Prior est hæc: *Philosophia Aristotelis de virtute Morali, de Objecto, de Actu elicito, talis est, quæ nec in populo doceri possit, nec ad scripturæ intelligentiam utilis, quia continet duntaxat portenta verborum, nonnisi ad contentiones verborum conficta.* Hæc propositio quantum ad omnes suas partes loquendo de Philosophia Aristotelis, in his maxime, in quibus à fide non discedit, est falsa, & tanquam ab inimico scientiæ arroganter & insipienter asserta.

Posterior:

Theologi scholastici Aristotelis Moralia prorsus convenire mentiti sunt cum Christi Paulique doctrina. Hæc propositione impudenter & falso scholasticis imponit scriptor, quod non est verum: quamquam satis exploratum sit, in multis Moralibus Aristotelis cum Christi Paulique doctrina consentire.

Facultas asseruit quidem doctrinam Aristotelis, sed si quis quâ ratione asserat, & quid asserendo excipiat, consideret, Facultatem ab antiquis Patribus, qui Aristotelem tantopere oderunt, non planè dissentire judicabit.



Intitulatio. In hoc libro videtur, quod ex illis Titulis
potest colligi, quod huiusmodi Propositiones que per
hoc sunt expressa Aristoteles excipit.

Intitulatio. In hoc libro videtur, quod ex illis Titulis
potest colligi, quod huiusmodi Propositiones que per


Intitulatio. In hoc libro videtur, quod ex illis Titulis
potest colligi, quod huiusmodi Propositiones que per
hoc sunt expressa Aristoteles excipit.


Intitulatio. In hoc libro videtur, quod ex illis Titulis
potest colligi, quod huiusmodi Propositiones que per
hoc sunt expressa Aristoteles excipit.


Intitulatio. In hoc libro videtur, quod ex illis Titulis
potest colligi, quod huiusmodi Propositiones que per
hoc sunt expressa Aristoteles excipit.


Intitulatio. In hoc libro videtur, quod ex illis Titulis
potest colligi, quod huiusmodi Propositiones que per
hoc sunt expressa Aristoteles excipit.
















U

16

SORBONNE

LAUNOY
DE VARIA
ARISTOT
FORTUNA

BIBLIOTH
DE
L'UNIVER